ANNALES

ACADEMICI.

CIƆIƆCCCLXV—CIƆIƆCCCLXVI.

LUGDUNI-BATAVORUM,

EX TYPOGRAPHEO I. C. DRABBE. | PROSTAT APUD E. I. BRILL.

1870.

Quae hoc Annalium volumine continentur, haec sunt:

ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA.

ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA.

ACADEMIA GRONINGANA.

ATHENAEUM AMSTELODAMENSE.

ATHENAEUM DAVENTRIENSE.

ACADEMIA

LUGDUNO-BATAVA.

ACADEMIA GRONINGANA.

ATHENAEUM AMSTELODAMENSE.

ATHENAEUM DAVENTRIENSE.

ACADEMIA

LUGDUNO-BATAVA.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORUM,

QUI

INDE A D. IX FEBR. A. CIƆIƆCCCLXV AD D. VIII FEBR. A. CIƆIƆCCCLXVI

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

REMBERTUS VAN BONEVAL FAURE,

SENATUS ACADEMICI ACTUARIUS

IOËL EMANUEL GOUDSMIT.

IN FACULTATE IURIDICA.

R. T. H. P. L. A. VAN BONEVAL FAURE.
H. COCK, rude donatus.
I. DE WAL.
S. VISSERING.
I. E. GOUDSMIT.
I. T. BUIJS.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

W. A. VAN HENGEL, rude donatus.
I. H. SCHOLTEN.
A. KUENEN.
I. I. PRINS.
L. G. E. RAUWENHOFF, Prof. extraord.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

I. VAN DER HOEVEN.
A. H. VAN DER BOON MESCH.
G. I. VERDAM.
F. KAISER.
P. L. RYKE.
W. F. R. SURINGAR.
D. BIERENS DE HAAN, Prof. extraord.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

A. RUTGERS.
I. H. STUFFKEN.
C. G. COBET.
R. P. A. DOZY.
M. DE VRIES.
R. FRUIN.
W. G. PLUYGERS.

IN FACULTATE MEDICA.

C. PRUYS VAN DER HOEVEN, rude donatus.
G. C. B. SURINGAR.
F. G. KRIEGER.
A. E. SIMON THOMAS.
H. HALBERTSMA, IUSTI fil.
I. C. G. EVERS.
I. A. BOOGAARD, Prof. extraord.

I. I. P. HOFFMANN.
P. O. VAN DER CHIJS, Prof. honorarius.

C. A. X. G. F. SICHERER, Lector Litt. Germ.
P. DE JONG, Lector Litt. Pers. et Turc. et Adiutor Interpretis Legati Warneriani.
L. C. LEVOIR, in Musaeo physico Adiutor.
F. I. P. VAN CALKER, Adiutor Professoris physices.
N. M. KAM, Observator astron.
A. VAN HENNEKELER, Observ. astron.
M. I. DE GOEJE, Adiutor Interpretis Legati Warneriani.

ORATIO

DE

IIS QUAE ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE ANNO 1865—1866 TRISTIA ET LAETA ACCIDERUNT

QUAM HABUIT

REMBERTUS VAN BONEVAL FAURE

IUR. PROF. ORDINARIUS

DIE VIII FEBRUARII CIƆIƆCCCLXVI

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM DEPONERET.

AUDITORES HUMANISSIMI, EXOPTATISSIMI!

Praeterierunt anni paulo plus quam quinquaginta — agebatur dies sextus mensis Novembris anni huius saeculi decimi quinti — quum in urbe nostra festissimus dies celebraretur.

Prodibant ex curia Amplissimi Curatores praeeunte Viro summo cui Institutionis Publicae Regimen erat commissum et prosequente toto Decurionum ordine. Prodibant ex aedificio Academico Rector Magnificus cum Senatu prosequente tota iuventutis Academicae multitudine. Omnes magna pompa petunt Sancti Petri aedem. Apparet Academiam festum diem agere. Simul apparet communem omnium tota urbe totaque Provincia eam laetitiam esse, ut laeta plurimorum undique confluentium frequentia non possit intra angustos huius Auditorii parietes contineri. Ut in saecularibus et semisaecularibus requiritur ad feriarum celebritatem patentius aliquod et augustius templum. Maius enim et amplius aliquid quam saecularia agitur: agitur id ipsum unde postventura saecularia nascantur. Antiqua Academia, iniqua dominatione si non deleta at certe mutilata et truncata restituitur in integrum, et ex renata populi libertate statim et ipsa renascitur.

Praeterierunt interea anni quinquaginta: me Rectore ante hos paucos menses semisaecularis annorum cursus exactus est. Profecto digna materies est, de qua primum omnium ad vos dicam, A. H., fata Academiae vertente anno transacta vobis expositurus.

Aeterna memoria dignum esse praedicat is qui Academiae L. B. historiam conscripsit diem illum sextum Novembris omnibus quibus haec Urbs

et haec Academia curae. Respicite illorum temporum aerumnas. Vexaverat iniqua dominatio patriam universam, senserat Academia L. B., cui tamen plus quam caeteris pepercerant, calamitates publicas. Vetus Academia quae ex vindicatione libertatis nata semper et in omnibus spirabat libertatem, nunc domita et oppressa veluti militari imperio ad parendum erat redacta. Hinc vinculis soluta triumphat excusso iugo dominationis tam anxie et suspiciose lucem fugientis ut cathedram iuris naturalis publici et gentium ferre non posset.

Sed patriae liberatio Academiae ita demum salutaris et frugifera fieri poterat ut veluti novis fundamentis vetus Academia tamquam de novo conderetur. Factum est hoc ipsum die sexto Novembris, ex quo decretum Regium die secundo praecedentis mensis Augusti factum ad effectum venit.

Ut in illa tristi servitute optime senserant libertatis bona, ita nunc Academiae renascenti Libertas spiritum vitamque reddidit. Facundo ore et ardenti animo id tum praedicabat illius anni Rector Magnificus praeclarus ille Kemperus, qui et antea torpentes popularium animos ad spem libertatis erexerat et, ubi illa spes affulsit, forti et efficaci opera patriae libertatem vindicaverat. Eodem ardore animi inflammatus idem et patriae vitam spiritusque liberos et Academiae restituit, et vocatus ipse ad Academiam veluti nova libertate imbuendam ex animi sententia aperit quis novus spiritus, quae nova mens molem Academicam permeet agitetque.

Institutionis publicae curam non pro onere pecunia redemtam vult Legislator, imo vero nihil habet antiquius quam ut disciplinarum studia floreant vigeantque. Hinc eruditionem adiuvat et excolit, datque operam ut illa lux omnibus rerum optimarum feracitatem et fertilitatem pariat. Illa autem vis vitalis et esse debet et est libertas!

Libertas institutionis Academicae conspicienda in eo iure, quod omnibus perinde conceditur qui partem quamlibet Academicae disciplinae docere velint, suo arbitratu docendi. Non institutus Professorum ordo sic, ut officiatur luci aliorum si quis alia via ac ratione cognoscendi sitim explere posse aut sibi aut aliis videatur.

Docendi libertas constituta: nulla lege, nullo impedimento liberum docentium arbitrium imminutum est, sua quisque scientia, suo iudicio, sua experientia, suo arbitratu utatur.

Ad confirmandam libertatem cura et sollicitudine soluta mens docentium, ut in sua quisque disciplina sint toti. Prospectum est ut sine cura sint et in praesens et in futurum. Prospectum est ipsis; provisum est, si quid iis acciderit, ne metuant suis.

Discendi constituta libertas. Discas tuo arbitratu, ubi voles, quamdiu voles. Dabitur discendi quidlibet commodissima facultas et copia, sed ubi didiceris aut quomodo didiceris non laboratur: demonstra te id scire quod praedicas idque satis est.

Sic alias Kemperus testatus est, "quam liberalem, ut aiunt, legem extorquere anteriores conatus per xx annos non potuissent, eam liberalissimam sponte Regem constituisse." Licebatne illi, qui ita sentiret dicere illo die de iusta laetitiae causa et ob ea quae tum tollebantur, et ob ea quae tum instituebantur nova? Nonne utraque de causa dies ille aeterna memoria dignus appellari debuit?

Verum estne etiam nobis nunc ille dies illo nomine appellandus? Nemo non patriae civis exultat gaudio excusso alienae dominationis iugo etiam sua virtute et viribus. Quis patriae civis, cui Academica institutio curae, non laetatur sublata esse impedimenta, quibus olim a suspicioso tyranno premebatur. Quam inflammatis animis, clarissimo de Vries verba faciente, memoriam restitutae ante annos quinquaginta patriae libertatis hoc ipso loco celebravimus! Verum iterum quaero, estne etiam nobis nunc laeta res non tantum illam institutionem per x lustra viguisse, sed etiam ipsam illam institutionem illo tempore sic fuisse comparatam? Utrum recte et vere laudata a Kempero est, an verae sunt nonnullorum voculae ac querelae qui docendi discendique libertatem nunc poscunt et palam praedicant nunc Academicam institutionem prorsus non esse liberam sed vinculis constrictam et ad certorum hominum voluntatem et arbitrium, tamquam aliquod monopolium, accommodatam?

An fefellit Kemperum opinio quum rem a se perfectam sibi gloriae et laetitiae duceret? Fieri potest, H. A., idque cur sit factum mutata tempora declarare possint. Ea erat tum animorum conditio ut vel ipsa importuni domini excussio pro perfecta et absoluta libertate haberetur. Iactabatur recuperata libertas ubi nomine mutato eaedem clitellae, ut in fabula est, iumento portandae imponebantur, et iidem homines eodem ore novae

libertatis bona extollebant et regiam potestatem veluti potestatem quandam patriam qua tum homines laeti fruebantur. Neque tamen huius erroris in Kemperi oratione ullum vestigium est.

Habebant autem illa tempora etiam hoc, ut libertatis amor ortus esset potissimum ex ipsis servitutis malis et aerumnis, sed accederet superiorum temporum recordatio, unde libertatis si non metus quidam et formido sed cura certe quaedam et sollicitudo oriretur, ne libertas modum excederet. Quum apud omnes constaret veram libertatem populi sine otio et quiete publica consistere non posse, diligentes nimium et anxii otii et quietis tuendae causa aliquid de libertate detrahebant. Sic quoque docendi discendique libertas finibus quibusdam circumscripta habebat modum. Estne sic imminuta et laesa? Fieri potest; sed non videtur cadere in Kemperum ut libertatem diceret quae esset vinculis constricta et ad certorum hominum arbitrium accommodata.

Quemadmodum illi qui aliquam rem probant et admirantur, quum toto animo illam partem intuentur quae niteat, id quod illum splendorem obscuret specioso nomine celare conantur, sic illorum adversarii contra maculis quibusdam offensi et sic bona non videntes toti rei nomen invidiosum imponunt. Sic igitur mihi videntur Academicam institutionem appellare vinctam et ad certorum hominum arbitrium accommodatam illi homines qui non metuunt, aut etiam taciti animis exoptant, ut ex infinita libertate exstinguatur vel intereat omnis Academica institutio quae quidem sit illo nomine digna, et quae, laxatis omnibus vinculis, permitteret omnibus effrenatam illam libertatem, ut quam minimo labore et negotio et quam tenuissimis studiis caperent illos fructus, quos sola studia recte et sapienter instituta diligenterque peracta afferre cultoribus deberent.

Non sunt ergo inania declamitantium verba, si qui libertatem docendi discendique decreto Regio anni 1815 fundatam esse praedicant. Utraque pars diserte eo decreto stabilita est; sed ita stabilita ut utrique modus quidam ponatur; sed multum me iudice fallatur is, cui aut supervacuum aut noxium esse videatur in tali re modum ponere quem nemo excedat.

Donec cura Academicae institutionis erit cura publica, quamdiu Universitates publice et ex aerario constituentur et alentur, tamdiu primarium erit Universitatum officium ut ex iis prodeant viri ad rempublicam geren-

dam aut adiuvandam idonei. Sed ex ea re id quoque necessario consequitur ut illi, qui ex Academica institutione prodeant, prae caeteris ad rempublicam gerendam et adiuvandam, idonei esse publice existimentur, unde hoc sequitur esse e republica ut Universitates quam optime officium suum praestare possint. Quae sit in quaque re ratio optima, dubium esse potest, sed dubium non est quod dicam: si necesse est in eam rem libertatem finibus quibusdam circumscribi, id quod necesse est simul iustum et aequum est. Quamdiu ipsius reipublicae intererit, quod et quemadmodum Universitates constituantur, tamdiu publice erit providendum et ut constent et ut uberes fructus ferant.

Alienum est ab ingenio humano existimare eadem nunc omnibus placere quae ante hos quinquaginta annos placebant. Nonnulla videri emendanda, nonnulla emendari oportere, quis mirabitur? Sed an non est propterea cur ea laudemus quae anno 1815 constituta sunt? Imo vero apud me constat illorum temporum legislatores, qui èt veterem morem Academicum sub Rep. èt recentem sub Gallica dominatione probe nossent, nihil melius aut praestantius proferre potuisse. Et criminabitur aliquis adhuc illud Decretum valere, quamquam emendandum esse omnes consentiunt et lex fundamentalis iubet, quamquam omnes legis vitia arguimus, sed nemo est qui corrigat? Sed quidquid aliquis criminari aut queri poterit de modo quo docendi discendique libertas tum fuerit constituta, nemo facile optabit fore ut nova lex aliis quam his principiis nitatur.

De libera docendi methodo nemo queritur. Legislator et rem ipsam et efficiendae rei rationem recte perspexit. Quis est qui credat illam libertatem utiliter posse imminui?

Summo iure Kemperus laudavit liberalitatem, qua prospectum est ut sine cura honeste et laute viverent qui disciplinam Academicam essent tradituri. Quantum distat illa liberalitas a sordida parcimonia recentioris memoriae quae in nulla alia re fuit sordidior. Recte dixeris legis mutandae animum et peritiam cerni potissimum in supprimendis nummis qui ex lege in usum rei Academicae erogandi fuissent.

Spirabat Decretum anni 1815 largam liberalitatem. Non erat cura rei Academicae pro onere legislatori quam pecunia redemtam vellet. Non tantum, quae in rem praesentem erat necessaria pecunia, suppeditavit sed

postventurum novum usum praevidit, semper scientiarum ambitu latius patescente. Professorum is numerus constitutus quo minorem esse non liceret; augeri pro re nata libere poterat. Novas cathedras institutum iri aut pro una duas substitutum si usus posceret, tantum non promittebatur. Itaque vix ulla Facultas intra eundem Professorum numerum stetit. Excepta Facultate theologica, quamquam et illic minime disciplina intra veteres fines se continuit, in omnibus valuit illud: „Divide et impera" idque non ad frangendas vires sed ad amplificandas. Sic Ars chirurgica et obstetricia, Chemia, Botanica et Zoologia, Mathesis et Physica, Ius Romanum et Hodiernum, Patriae litterae et Historia, olim singulis nunc pluribus demandata, et his ipsis diebus laetati sumus divisis omnium intelligentium plausu Anatomia et Physiologia. Quam dolemus illam laetitiam non esse integram! Quae res a nostro Halbertsma exoptata ut „totus in Anatomia superaret se ipsum" ea nunc venit ad effectum tamquam ex illius ultimis tabulis quas ex hac ipsa cathedra nuncupavit!

Ex eadem liberalitate novae cathedrae parantur. Laeti recordamur quid hoc anno vertente Linguae Sanscritae sit praestitum.

Si quae forte sordes angusti animi animadvertantur, quum professores extraordinarii pro ordinariis creantur, non est illa culpa Decreto imputanda sed iis qui contra Decreti sententiam fisco nimium consulebant.

Nonne eadem sordida parcimonia grassata est quum certamina litteraria tollerentur, nunc Regis liberalitate in vitam revocata? quum tollerentur studiorum stipendia olim nimium multa nunc ad iustum modum redacta?

Quid dicam de apparatu et supellectili studiorum? Hic potissimum apparet quanto iure Kemperus dixerit non pro onere curam Institutionis publicae pecunia redemtam velle rempublicam sed id magnopere agi ut disciplinae laetae efflorescant. Ubi legas ea quae diligenter praescripta sunt de exstruendis aedificiis, bibliothecis, museis, laboratoriis, animadvertas quantum pecuniae his rebus attribuatur in annos singulos, credas Legislatorem sibi videri ea aetate vivere, quum primum Academia conderetur. Dixeris post renatam patriae libertatem renatas esse maiorum virtutes prudentiam et magnitudinem animi, ut quemadmodum illi splendidam et duraturam Academiam condidissent, sic eam seri nepotes de novo iisdem animis conderent.

Sed eheu, quemadmodum olim ante annos propemodum trecentos dicta et facta inter se congruebant, sic nunc nullo modo facta dictis respondebant, et litera scripta manet pro testimonio èt probe scivisse homines quid requireretur èt quae necessaria essent praestari non potuisse.

Quo plura Academiae Lugduno-Batavae promissa fuerunt, eo plura aegerrime desiderat. Estne opus, A. H., vobis in memoriam revocare promissam esse nobis aedificii Academici exstructionem hac Musarum sede digni? Ecquid creditis aedificium tantae amplitudinis nobis deberi ut praeter reliqua omnia in usum Lectionum intra vastos suos fines Museum Anatomicum et Physiologicum et Pathologicum et Physicum, quin adeo Museum historiae naturalis complecteretur? Parturiebant montes! Quid per annos quinquaginta natum est?

Sed leniunt hunc dolorem dicam an indignationem complura quae hi decem anni grata et accepta attulerunt. Grati recolimus merita Curatorum, quibus debemus et vastum aedificium Chemiae et Physicae et Anatomiae usibus comparatum et splendidam speculam Astronomicam et Bibliothecam ita ornatam et instructam, ut conveniat cum illa magnificentia, qualis ante annos quinquaginta erat in hominum animis et exspectatione. Partes igitur quaedam praeclare expletae sunt, sed cupidi exspectamus ut totum ponatur.

Quidquid est constructum novi, desideramus semper aedificium Academicum. Ostendamne multis verbis saltem novum auditorium rem esse non luxuriae supervacaneae sed prorsus necessariam? Stant adhuc solidi parietes, quamquam vetustae trabes ingemiscunt oneri. Si nondum ruinam haec minantur, si de vita nondum dimicamus, at nuda et gelida et inhospitalia omnia sunt. Musae coactae tristem sedem servant sed Gratiae olim evolaverunt.

Et ubi sunt Professorum auditoria? Passim tota urbe dispersa et pleraque omnia eo statu ornatu cultuque ut satis appareat privatorum facultates publica munificentia esse sublevandas.

Et praeter illa quae olim inertia neglexit, alia atque alia semper nova frustra requiruntur et augent praesentes molestias atque incommoda. Docuit usus, iustas querelas semper esse iterandas ut aliquid fiat boni. Habebit mox Academia Groningana, habebit Ultraiectina Laboratorium Phy-

siologicum sed Lugduno-Batava nihil eo indigere videbatur scilicet! Quam diserte contrarium docuit ex hoc ipso loco iudex idoneus! Sed iam divisis cathedris unde Anatomia et Physiologia docebitur, unum gradum protulimus, et sic speramus fore ut ad huiusmodi Laboratorium perveniamus.

Sed si tacere non licet quae omnium voces iam multos per annos consensu exposcunt, tacere non licet de Nosocomio. Laus et honos sit legislatori, qui anno 1815 rectissime rem perspexit ostenditque qua via institutio clinica quam latissime patere et plurimum plurimis prodesse posset. Quamquam quae illis temporibus erant satis, nostris non sufficiunt, et clare demonstravit Legislator se sentire, debere patriam tenere illud: „magnam nobilitas generis optimarum artium imponit necessitatem." Intelligebat penitus avitam laudem conservari oportere summi Boerhavii meritis partam et per illius discipulos toto orbe propagatam! Quem exitum ea res habuit?

Quum superiore anno Academia Vindobonensis quinta saecularia celebraret sororesque Academias ad ea concelebranda invitaret, Vindobonensis Academia Lugduno-Batavam praeteriit. Iam iure queri possis de ingratis hominum animis: excidisse posteritatis memoria summum virum van Swieten, Boerhavii nobilissimum discipulum, iecisse fundamenta quibus Vindobonensium gloria et laudes nitantur; sed hoc quaero: putatisne Academiam Lugduno-Batavam sine quadam anxietate animi sedem honorificam sibi debitam occupaturam fuisse, neque futurum ut pudore suffunderetur ob patriae inertiam, ubi videret exaruisse apud nos opimam plantam, cuius tenuem propaginem illi sua cura et studio florentissimam et validissimam fecissent. Si unquam alibi in nos cadit illud: „deliberante Senatu periit Saguntum!" Multumne distat ab interitu status is, qualem superiori anno summae vir in talibus auctoritatis descripsit? Personant adhuc aures verbis quae indignabundus Halbertsma edidit: „horribile dictu, horribile auditu" et quibus intonuit: „sed rerum testimonia adsunt!"

Res in eodem statu est. Sed ubi proxima pernicies est vicina est salus, et gratulor mihi cui licet annuntiare laetioris diei lucem affulgere.

Grandis pecunia publice in hunc usum attributa. Decuriones huius urbis idem fecerunt. Coalescunt animi et res convalescit quae ex ea concordia ad exitum perducetur. Laudare hic iuvat sapientiam maiorum qui-

bus placuit ut is qui Decurionum urbanorum ordini praeesset idem in Curatorum collegium adsisceretur. Tanto magis lugemus virum amplissimum qui utrique officio tam abundanter satisfaciebat. Nunc speramus fore ut omnes in consilio publico huius civitatis intelligant non modo interesse humanitatis, interesse disciplinae medicae, sed etiam vehementer esse e re totius civitatis, ut ea res quam primum ad felicem exitum perducatur. Namque in ea conditione et statu nunc studia Medicinae versantur, tanto studio et ardore certant inter se nobiles civitates ut Medicae arti sedem primariam apud se comparent, ut agatur et in discrimen veniat Academia ipsa. "Videant igitur Consules ne quid respublica accipiat detrimenti!"

Redeat nunc mea oratio illuc unde digressa est. Revocavi vobis in mentem ipsa principia quae Legislator anno 1815 in ordinanda Academica institutione secutus est, quae equidem respiciens arbitror nobis iure diem quo Academia est restituta in integrum, diem memorabilem appellari debere.

Neque tamen hoc ita dicimus quasi omnia in eodem statu fideliter conservanda putemus. Quid mirum legem ante hos quinquaginta annos latam nunc in omnibus ab omni parte non probari. Quod maximum est, Lex Fundamentalis diserte imperat ut emendetur, idque tam graviter imperat, ut dies ad novam Legem subrogandam praestituta iam quindecim annorum intervallo sit superata. Ergo ferenda lex nova est. Sed si, spreto legis fundamentalis imperio, vir potentissimus, cuius novam legem rogare officium est, palam pronuntiavit nil festinandum, namque Academicam institutionem in praesenti statu dici posse patriae esse bonae frugis feracem, habet illa res insignem laudem legislatoris anni 1815 èt ob ea quae praecepit èt ob ea quae caute maluit indefinita relinquere.

Erit tamen aliquando ille dies quo legis imperio parebitur. Periculosae plenum opus aleae erit imprimis ob longas moras. In illo more codicum legis condendorum sub quo vivimus, me iudice optimum factu est leges per partes emendare, ne quid quod bonum et probum inest, rebus malis et noxiis contaminetur, ut leges semper temporibus moribusque conveniant. Si cessas et cunctaris emendare et corrigere partes, ut serius totam legis compagem ac seriem simul ordines, novis semper incommodis vitiisque

res in invidiam adducitur, et ubi tandem ad corrigenda omnia acceditur, periculum est ne bona cum malis una abrogentur et pereant. Habet hoc humana natura ut felicitati imaginariae postventurae postponat id, quod praesens usus postulat.

Certum habeo recte facturum Legislatorem huius aetatis, si principia legis veteris retinebit. Retineat libertatem in omnibus quae enumeravimus et in eo principio libertatis docendi discendique ita ponat fiduciam, ut eam latius proferat, et multa quae nunc indefinita sunt, indefinita relinquat. Imprimis ingenio temporum nostrorum obsecutus non tantum praeceptis sed etiam factis provideto, ut praesto sint studiis subsidia et adiumenta unde laeta efflorescant. Sic facito appareat praeter quam ex ipsa nova legislatione Institutionem Academicam reip. esse perpetuae curae, atque iis esse cordi qui pro populi commodis et prosperitati excubant.

Parcus in definiendo legislator palam faciat se fiduciam habere animo repositam iis, quibus Academicae iuventutis institutio committitur. Namque ab illis pendet potissimum omnium consensu sitne Academia bonae frugis ferax an sterilis futura. Quis autem illis, ut Kemperus iam dixit, honor haberi maior potest, quam ut iis confidatur? Sic magno animo gravem provinciam magni periculi et aleae sibi impositam sustinebunt. Habeant huius rei rationem inprimis illi quorum in legibus ferendis aliquae partes sunt, et procul a sese arceant illam male latentem invidiam adversus ea quae nostra privilegia appellitari assolent. Denique caveant ne quid refigant mutentve anteaquam veram rerum praesentium conditionem probe ac penitus cognoverint!

Curatores, viri Amplissimi! Iuvat animum meum coram vobis dicere de florente Academiae statu, nam Vos nihil relinquitis intentatum ut sit illa perpetua prosperitas. Utinam ipsi omnes florentes adessetis! Sed de vestro quoque numero unum mors rapuit eximium virum Siegenbeekium. Lege adscitus in collegium Curatorum, quia huic civitati praeerat, habebat alias causas cur tanto honore dignissimus haberetur. Eximiam et ipse dederat litteris et disciplinis operam. Excoluit ipsas in hac nostra Academia et ita excoluit ut paterni nominis laudem et gloriam tueretur. Bis, in

facultate litteraria et iuridica, victor coronatus summos in utraque facultate honores ita tulit ut libelli ab eo in eam rem conscripti etiamnunc laudentur.

Ubi in vitae lucem et praxim prodiit, expertus est quanti esset in iuventute latum theoriae ambitum tota mente et intento studio complexum esse. Ad munus Ministerii Publici vocatus sponte in iure criminali tabernacula posuit conscripsitque de hac iuris parte Quaestiones quae utcumque breviores non obscurantur splendore luculenti libri quem ea de re cl. de Bosch Kemper composuit.

Neque ei minus illa studia profuerunt, quum huic civitati praepositus est, cui ita praefuit, ita consuluit, ita res eius omnes prudenter periteque administravit ut facile appareret ei solidam doctrinam ubique suppetere. Augebant has ingenii dotes praeclarae animi virtutes. Quis Siegenbeekio humanior? idem èt sui iudicii èt lenis erga dissentientes, commodus, facilis et idem gravis et constans.

Quid tali viro potuit iucundius accidere, quum ad huius civitatis regimen vocaretur, quam ut simul vocaretur in illud collegium quod dilectissimam sibi Academiam tuebatur fovebatque; quid ipsi Academiae evenire potuit acceptius quam ut veterem alumnum carum sibi, sui studiosum et amantem, pium, diligentem, strenuum in Curatorum numero haberet. Quod ab illo exspectabatur factis praestitit. Quoties intelleximus eum nobis universis et singulis optime velle. Vel illud ipsum quod novissimum praestitit id satis ostendit. Dolorem suum, suas molestias prae Academiae salute contemsit.

Magnam, magnam in Siegenbeekio iacturam fecimus, et quo gravius animi in praeclari viri morte commoti sunt, eo stabilior in animis nostris memoria viri manebit, et quamquam ipse a nobis discessit, optimarum artium, quae in illo amavimus, exemplum nobis servabitur.

In Professorum ordine iterum sensimus pallidam mortem aequo pede venire et maturam senibus et celerem iis qui sint in robore et flore aetatis. Lugemus exacta aetate senem Peerlkampium; in medio aetatis cursu vigens valensque Halbertsma concidit. Pium parentandi officium utrique praestandum.

Non venit Peerlkampio mors inexspectata. Ante biennium senex eximius dedit ad Rectorem Magnificum, veterem discipulum et fidelem amicum, breves, ut solebat, literulas et concisas in hanc sententiam: "Sentio mihi mortem instare, quam quieto et placido animo exspecto. Tuum erit de me rebusque meis pauca publice referre. Dabo quod referas;" et in schidula haec adscripserat, quae veluti ex ipsius ore audite:

"Petrus Hofman Peerlkamp natus Groningae 2 Februarii 1786 patre Rudolpho, Praeceptore in Gymnasio urbano, matre Henrica Veenhorst;

13 Augusti 1801 in album Academiae relatus mense Augusto 1803 Harlemum vocatus munus Praeceptoris annum gessit;

ab anno 1804 munus Rectoris Dockumi in Frisiis;

anno 1816 successit cl. I. ten Brink Rectori Gymnasii Harlemensis.

Inde anno 1822 Leidam in Facultatem Phil. Theor. et Litt. Hum. vocatus, morbo correptus, qui omnem animi intentionem vetabat, anno 1849 muneri renuntiare coactus est.

Caelum salubre et ruris Hilversumensis amoenitas valetudinem restituit; adeo ut extremam vitae partem in redigendis annotationibus per multas veterum scriptorum editiones sparsis, transigere potuerit. Obiit....."

In hoc verbo desierat et Cobeto scripsit: "hunc tibi ultimum diem meum explendum relinquo."

Habetis, quae Peerlkampius ipse his ipsis verbis voluit de se referri. Agnoscitis in his Peerlkampium et Peerlkampii animam simplicem, candidum, ab omni fuco alienum et laudationem ne alienam quidem nedum suam ferentem. Nuperrime vir pereruditus ex Brittannia, qui Academiam Lugduno-Batavam diu et multum noverat, ita scripsit: "Nusquam plures ex illo genere viros quam Lugduni-Batavorum exstitisse credo, qui in Literis colendis nec maledicunt cuiquam nec adulantur; qui ab honoribus aucupandis et a quaestu faciendo alienissimi, quo veritatis et bonarum artium amor ducit simplicem et tranquillum vitae tenorem persequantur." In neminem haec magis quam in Peerlkampium conveniunt; qui si quis alius fuit antiquitatis exemplum; antiquarum artium et antiquorum morum.

Huius ut ego viri in paucis celeberrimi merita ponderem suoque pondere aestimem, quis postulat, quis exspectat? Exoriare aliquis ex illius veteribus amicis et discipulis qui nobis tanti viri naturam et ingenium et

mores enarret; qui describat candorem et simplicitatem animi ingenui et gravitatem et constantiam viri mira quadam humanitate et festivitate conditam, animumque invictum et libertatis amantem et pietatem summam ab omni superstitione vacuam et ardentem patriae amorem cum insigni stirpis Regiae observantia coniunctum, et pulchri sensum acerrimum cum veri et honesti sensu conspirantem, et oris facundiam et scribendi elegantiam, et venustatem cum maxima sanitate et perspicuitate coalescentem. Haec uno ore celebrant qui Peerlkampium in aliqua vitae parte cognoverunt aut de cathedra docentem audiverunt. Qui de illo dicturus est, nae ille habebit laetam dicendi materiem. De illa copia ego delibo unum.

Admiratur Brittannus ille nostrates, qui nec maledicunt cuiquam nec adulantur. De adulationis odio quid attinet dicere in eo, quo nemo fuit libertatis vindex et assertor constantior fortiorque. Ne de maledicentia quidem in Peerlkampio cogitandum, qui ingenti animo omnia illa spernebat quamobrem eruditi homines inter se nonnumquam velitantur. Sed aliud est aliis non maledicere, aliud aequo animo aliorum convicia ferre. Nemo unus plures odiosas criminationes et stultorum maledicta et malevolorum convicia aequiore animo tulit quam Peerlkampius. Postquam edidit in lucem suum Horatium, undique agmine facto impetus in eum factus est, undique indignantium voculae et querelae et minae in audacem criticum non convellenda convellentem. Libri et libelli omne genus tamquam tela in hostem torquebantur. Ipse dixit: „solus contra millia in hac arena consisto." Sed unus homo, cui pectus sapiat, in tali re multorum millium instar est. Vicit unius sanitas hominum innumerabilium doctam et indoctam insipientiam. Fatigavit hostem, quieverunt alii, alii ad sanitatem redierunt, caeteri iacebant. Sic Peerlkampii lenis sapientia ex iniquo certamine victrix discessit. Nullius petulantia vel protervitas invictum animum neque vexavit neque graviter commovit. Leniter ista omnia et hilariter contemnebat vel potius, ut audire est ab illis qui intima eius familiaritate utebantur, ne contemnebat quidem, quia vix illa curabat vel cogitabat. Scripsit ad amicum: „studia et rumores et sermones contemsi neque verbum respondi neque unquam respondebo." Quantum sic fecit melius et vixit suavius quam si bonas horas inanibus rixis perdidisset!

Quid dicam de eruditis Peerlkampii laboribus, de varia et diffusa doc-

trina, de sollertia et acumine ingenii deque scribendi dicendique elegantia et venustate, quae nunc tenet legentes ut olim auditores ab illius ore pendebant. Dixerunt alii et dicent de ingenii monumentis, quibus sibi ipsi monumentum aere perennius posuit. Non est meum quid in quoque libro praestiterit enarrare, nedum diiudicare. Quantum in Graecis Litteris valuerit Xenophon Ephesius declarat, quae fuerit in ipso poëtica facultas èt carmina quae panxit argumento sunt, èt admirabilis illa Censura, quam egit in omnes qui in patria nostra Latinas Musas coluerunt. Nihil illo libro sanius, nihil venustius cogitari potest. Verissimum est quod cl. Boot nuper pronuntiavit: „vel illi qui poësin Latinam contemnunt, benignius de ea statuere debent, quod, ni maiores nostri carmina Latina pangere voluissent, Peerlkampius talem librum scribere non potuisset." Sed omnis ingenii Peerlkampiani vis et copia et varietas et acumen in crisi poëtarum Romanorum, in Horatio praesertim Virgilioque cernitur. Idonei harum rerum iudices in his Peerlkampium cum Bentleio componunt. Idem in utroque mentis sollertissimae acumen, eadem doctrinae inexhausta copia, eadem dictionis perspicuitas et ubertas. Sed vivunt haec et sunt in omnium manibus neque cuiusquam praeconio indigent. Nos pro ingenii tenuitate satis habemus palam declarare quanti faciamus talis viri memoriam, et quantopere Academia Lugduno-Batava Peerlkampio glorietur, finemque facimus in Horatii Virgiliique versiculis, quibus ille plurimum delectabatur. Ipsi ius erat illud Horatii usurpare:

Non omnis moriar, magnaque pars mei
Vitabit Libitinam

et quamdiu stabit Academia Lugduno-Batava, quamdiu litteris suus honos constabit, tamdiu in te, candida anima, cadet illud:

Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.

Diximus de sene, quem grandiores natu nostrum viderunt et amaverunt, dicamus nunc de illo, quem omnes vidimus, quem dileximus omnes.

Quam saepe iam nominavi illum virum, quem ereptum lugemus; nam rerum ordinem enarro ab illo inchoatum, quum ipse nuper ex hoc ipso loco Academiae fata enarraret. O hominum ignaras mentes! Quis tum

cogitabat fore, ut is qui tanto animi ardore corporisque vigore pro disciplinis suis pugnabat, tristium parentalium, quae more maiorum pie quotannis facimus, foret materies et argumentum. Utinam in iis quae de Halbertsma dicturus sum iusto vestro desiderio satisfaciam!

Hiddo Halbertsma Iusti filius, ex Frisia oriundus, in Daventriensi Athenaeo primum studiis imbutus est, ubi eximium virum Vorsselman de Heer audivit; deinde ad nos venit seque viris cll. Sandifort, Macquelyn, Broers et Pruys v. d. Hoeven in disciplinam tradidit et post sexennium, conscripto specimine de Antonii Leeuwenhoekii meritis in partes quasdam Anatomiae microscopicae summos in Medicina honores reportavit.

Defuncto laboribus Academicis contigit id quo nihil medico fortunatius contingere potest, ut regiam studiorum viam ingrederetur et obiret urbes nobilissimas virosque in arte principes cognosceret videretque seque exerceret in ingentibus Medicinae, ut ita dicam, palaestris. Per biennium Parisiis et Vindobonae moratus illic chirurgiae hic obstetriciae arti dedit potissimum operam, nulla re, quae agenda videndaque magno futuro medico esset, praetermissa.

Interea eum patria non amittebat ex oculis, sed cogitare coepit quem fructum ex eius doctrina capere possit. Sapienter vidit ille qui tum res regni internas curabat, multum ante prospiciendum esse ut essent qui vacantes cathedras ornarent; itaque fovenda esse iuvenilia ingenia et ad futurum munus Professorium informanda. Sic Halbertsma, Sandiforto futurus successor destinatus, publice iterum profectus est ut de industria Anatomiae et Physiologiae navaret operam et si quid esset apud exteros praeclarum ad nos transferret. Itaque artis chirurgicae et obstetriciae laurea prius auctus dedit se iterum in viam bienniumque Berolini, Lipsiae, Pragae transegit. Pragae factus est certior sese Medicinae professorem extra ordinem creatum, quam provinciam suscepit die 30 Septembris anno 1848.

Vita apud exteros acta patriae amorem auxerat. Omnibus viribus eniti coepit et vitam impendere vindicandae pristinae maiorum in sua arte gloriae. Contemplatus foris quantum nobis deesset instaurare laudem avitam instituit non iactando veterem sed quaerendo novam. Elaboravit ut esset suis aequalibus quod illi antea suae aetati fuissent. Hinc factum ut munus

auspicaretur oratione: »de Albini anatomiae tractandae methodo comparata cum ea quam nostra tempora sibi deposcunt." Audacter et confidenter praesentia vitia arguit et corrigendi viam monstravit, et quamdiu munere functus est studio indefesso numquam destitit id quaerere, id parare, quod esset in sua arte perfectissimum. Sic sibi paravit adiutores sollertissimos, quibus fretus disciplinae fines proferebat et ipse totus erat in eo quo maxime natura ducebat. Sic subsidia sibi et instrumenta paravit, sine quibus id quód iuste requiritur praestari non potest. Bonum factum est èt decori Academiae èt ipsi ut illo ipso tempore novum theatrum anatomicum aedificaretur, namque de ipsius consilio ita comparatum est ut cum praestantissimo quoque, etiam exterorum iudicio, contendere possit. Utebatur idem ea docendi methodo et alacritate ut etiam tardiores incitaret et acutiores inflammaret ex quo omnium admirationem tulit et laudem, artem anatomicam, quum iaceret, erectam et ad summum fastigium per illum productam esse. Factum est ex ipsa rei natura, ut Halbertsma, quum totus Anatomiae amore arderet in altera provincia non satis sibi ipse satisfaceret. Neque tamen Physiologiam negligebat, et in ea quoque egregie versatus est, sed intelligebat optime Physiologiam eum virum sibi deposcere qui in illa arte totus esset. Itaque flagitare non destitit ut suum sibi Physiologia professorem haberet, et ita demum Laboratorium Physiologicum comparari posse, quam rem imprimis necessariam esse demonstrabat. Quis credat tam iustum desiderium, tam salubre et frugiferum ex tanta animi magnitudine profectum tamdiu inexpletum mansisse!

Candorem animi aperti, quo solebat dicere sententiam, et humanitatem qua in dissentientes utebatur, numquam deposuit et eodem animo quum Rectoratum deponeret libere dixit de pugna inter Practicam et disciplinas biologicas. Neque aliter fieri poterat. Erat ex candore et humanitate et benevolentia indoles tota composita. Erga collegas, familiares, discipulos semper et ubique apparebat.

Natus in Frisia resipiebat patriam; acrior nonnumquam aut paulo truculentior non erat propterea minus humanus sed habebat insitam animo nobilitatem. Non natales sed virtus eum faciebat nobilem, vel ut nunc loquimur, nobilitabat, quamquam ea verba auro inscripta non fulgebant ei in pectore.

Recordamini illam comitatem et alacritatem et benignitatem in vultu, in oculis, in iungenda dextra! Haec indolem animi arguebant. Natura et ingenio hilarior, quamquam totus in studiis, amabat tamen in tempore festivitatem convivalem et dulcissimas amicorum confabulationes. Et tamen illam naturam tam hilarem, festivam, firmam et validam occultum malum, in tenebris serpens, vix intimis amicis notum, destruebat. Spes erat aestivis mensibus amoenitatem naturae et coeli clementiam in Geldria aegrum recreaturam, ubi ipse laetus laetum cernebam et dulces cum eo horas fallebam; sed frustra ea spes fuit. Reversus huc post ferias novum mali impetum sustinuit et mox ad aquas salutares profectus ad spem ultimam experiendam.

Vicit vis mali! Meministis diei 22 m. Novembris quum nos acerbus nuncius afflixit. In flore aetatis raptum luget Disciplina industrium et indefessum sui cultorem, Academia decus et ornamentum, nos fidelem amicum, studiosa iuventus eximium et dilectissimum praeceptorem. Lectissimae coniugis et patris grandaevi luctum quis verbis enarret?

Aestumatissimi collegae! si multas hoc anno acerbitates hausimus eo magis gaudemus spem esse aestumatissimum collegam Verdam e gravi morbo quo ipsis hisce diebus fuerit correptus, recreatum iri; gaudemus etiam compluribus nostrum laeta et prospera contigisse.

Primam liceat commemorare fortunam quamquam evenit novissima, et quia una omnium maxime est memorabilis et quia contigit tibi, dignissime van Hengel, qui nostrum omnium primus es, qui nos omnes et multos longissime aetate superas, sed tamen lubenter vivis nobiscum et quem adeo omnes et veneramur et amamus. Gaudemus te illum diem laetum inter laetos recoluisse, quo ante annos quinquaginta munus professorium in Athenaeo Franekerano suscepisti. Bene tibi, qui solus superstes es ex omnibus, qui tum ubique ad restitutas Academias et Athenaea vocabantur. Bene tibi, qui illum festum diem ita celebrasti ut, quamquam multum superas illam aetatem, quam poëta Psalmorum nonnisi valentissimis tribuit, tamen non eius exemplo quod illius excellentissimum

est dicere debeas laborem atque dolorem. Nam tu valentior es quam illius valentissimus, sanitate corporis et sanitate mentis et robore exercitatae èt scientiae èt fidei. Producat tibi Deus et vitam et vitae fructum. Nobis es vivus et vigens Cato Maior, Ciceronis stilo dignus.

Tam rarum et singulare est Dei beneficium quale venerabili van Hengel obtigit, ut multum laudemus fortunas illorum, quibus dimidia eius pars evenerit, praesertim quum sint viri quales vos estis cll. Scholten et Kaiser, in suis disciplinis familiam ducentes et principatum obtinentes. O vos felices, qui per quinque lustra Professorio munere ita functi estis ut suavissimum vobis sit vitam ante actam et peractos labores respicere! Multum abest ut paracti labores vos fregerint, ut partae gloriae acquiescatis, sed manum strenue aratro admoventes pergitis suo uterque modo coelum et coelestia contemplari et scrutari. Macti virtute estote et quod uterque agitis eadem alacritate peragite.

Tibi cl. Rauwenhoff, gratulamur quod quum dudum ordinarii Professoris onera sustinuisses, nunc Professoris ordinarii honorem quoque et fructus adeptus es. Nimium diu id quod tibi debebatur et ex legis praescripto et ex meritis tuis inique tibi negabatur. In te vidimus exemplum unum ex novissimis illius abusus, quem paulo ante notabam, contra disertam Legislatoris voluntatem Professores extra ordinem pro ordinariis creandi. Gratulantes igitur tibi eo amore, quo te prosequimur, simul gratulamur iis, quorum est harum rerum potestas, quod rei iniustae et iniquae imposuere finem, nam iure naturae aequum est neminem, nedum aerarium, cum alterius detrimento et iniuria locupletiorem fieri.

Lubentissime te cl. Kern, in nostrum numerum recepimus, duplici de causa. Primum te creato suppletum est tandem id quod peritissimi harum rerum iudices Academiae nostrae deesse dolebant. Nunc denique sua Linguae Sanscritae cathedra constituta est. Et ad hanc rem tu tuo iure omnium primus eras vocandus, tu qui iam ante in illis studiis fama celebratus, deinde in ipsa India ex limpido fonte copiosos latices hausisti, quibus arva patria sitientia irrigabis. Conservet erga te semper studiosa

litterarum iuventus illam alacritatem studiumque et ardorem, quo te statim recepit et declaravit dudum desiderata esse quae tam lubenter et cupide accipiebantur.

Debetur huius laetitiae pars vobis cll. Rutgers et Dozy, qui Iuynbollii defuncti vicem benigne supplendo, fecistis, ut novae cathedrae constituendae locus esset. Si novam cathedram appellamus tamen probe meminimus, cl. Rutgers, non nova et ante hunc diem inaudita ex ea doceri. Tu enim per multos annos optimum quemque linguam Sanscritam docuisti, sed sine pompa, sine strepitu, in umbra et otio, ut illi soli sentirent quibus benefaceres. Tu qua eras modestia benefacti tacita conscientia contentus fuisti. Accipe nunc palam gratias quas tibi veteres discipuli et novus collega meis verbis agunt.

Tres successores Halbertsma unus habuit, creatis cl. Heynsio, Professore ordinario, cl. Boogaard et doct. Zaaijer extra ordinem. Est profecto quod ea de causa gaudeamus. Dulce gratulandi officium successori meo obtinget, ubi quisque eorum munus suum capessiturus est. Quem unum speraveram praesentem videre, eum quoque gravi luctu afflictum desiderant oculi, cl. Boogaard, quem iam biennium suavissimum collegam habuimus. Gratulamur tamen ipsi absenti et laetamur quod quum adhuc Professoris titulo tantum honoratus esset, nunc quamquam Extraordinarii nomine non dico gaudet sed utitur, tamen et in ordine Medicorum et in Senatu sedebit. Honor, quo ornatus est meritis suis debitus, èt ipsi gratus erit èt iuventuti Academicae quae illum illiusque institutionem facit maximi, quia sedebit ubi Halbertsma noster sedebat, cui ipse, cuius dubitamus utrum sit doctrina maior an modestia, vita luculenter describenda, monumentum suae pietatis posuit.

De Academico apparatu et studiorum adiumentis pauca addenda supersunt. Specula Astronomica, quamquam non satis laute dotata, tamen usum egregium praestat, namque habet Kaiserum et eius sollertem et ingeniosam industriam.

Museum Hist. Naturalis et Physicum et Chemicum recte et ordine se habent.

Museum Numismaticum vix unquam tantis auctibus quam hoc anno locupletatum.

Delectat animum Hortus Botanicus amoenitate et copia, et si quid aliud dici potest florere.

Verbo dicam de Bibliotheca publica quae renovata et ad usum parata doctissimum Schotel historicum nacta est. Qui ea frequentes utuntur nihil desiderant quod utile sit et dulce. Spes est fore ut pars adhuc imperfecta hoc anno perficiatur. Respondet haec priori. Non deerit spatium quo reponantur libri quamtumvis multi, qui adhuc in Bibliotheca frustra quaeruntur.

Doct. Bergman, qui per annos duodequadraginta secundi bibliothecarii officio summa fide functus est, vertente anno, ultro petitum otium impetravit. In illius locum nemo substitutus est, sed Bibliothecae administratio his ipsis diebus aliam formam sumsit. Cl. Pluygers, qui adhuc temporariam illam Praefecturam obtinebat, adeptus est perpetuam illique additi doct. du Rieu et ora. Tiele Conservatorum titulo. Non dubitamus cl. Pluygers, quin ea res ex animi tui sententia ordinata sit tibique lubenter gratulamur. Mirum non est Bibliothecam, de qua optime meritus es, tibi caram esse factam et tu Bibliothecam ita administrasti, ut vix credamus successorem tibi reperiri potuisse qui rem melius quam tu gereret. Utinam diu illo honore utaris et capias industriae tuae hunc fructum ut Bibliotheca a te ordinata omnium exspectationem et spem cumulate expleat.

Nunc ad vos me converto, Studiosa Iuventus. De vestro quoque numero sunt quos acerba mors rapuit. Rapuit ornatissimos Kroon litterarum, Brouwer medicinae, van Goens iuris studiosos. Rapuit generosi animi iuvenem Verbrugge qui quum, studiis Academicis absolutis, in eo esset ut in vitae lucem prodiret, declaravit quam bene nosset officium eius qui Medicae arti ad communem salutem vires et vitam impenderet.

Grassatur in vicino oppido morbus gravis et pestilens. Medici alii post alios aut oneri succumbunt aut mali violentia absumuntur. Implorant alienam opem. Nihil imminente periculo deterritus praestantissimus Verbrugge nec vitae suae parcens, it contra magno animo. Praeclaram miseris tulit opem. Sed dum aliis parat salutem, amittit suam et illi sua animi magnitudo morte constitit. Quum ostendisset quid in se esset boni, acerba nece Academiae, parentibus, amicis, ereptus est.

Luctus omnium in tam tristi clade susceptus hoc habuit ut in clara luce poneretur quantum animi, quantum virtutis, quantum constantiae in iuventute Academica inesset. Uno avulso non deficit alter. In illius locum statim subiit ornatissimus Simons, cui in morbum implicito succedit statim ornatissimus Vinkhuyzen. Bonum factum quod mox e morbo recreatus Simons, ut primum potuit, operam intermissam resumsit feliciterque perfecit.

Sic illi egregii iuvenes, quos mihi contigit iam doctores salutare, decus et laudem medicorum et reliquae Academicae iuventutis strenue vindicaverunt et ineunte aetate ostenderunt bonas artes quas Augustissimus Rex regie agnovit ornavitque.

Etiam alio modo studiosi adolescentes Academiae gloriam stabiliverunt. In certamine Literario Ultraiectino ornatissimus v. Slee in quaestione Theologica et orn. Bleekrode in Physica secundam palmam reportaverunt.

Haec est nobilis palaestra, in quam Regis munificentia quotannis vocamini et in quam vos nunc eo acrius et alacrius invito, quia apud nos ipsos de palma contendetur. Accingito se fortissimus quisque ad certamen et circumspecto iudicio et indefessa industria. Quidquid bonum et pulchrum est improbo labore paratur.

Sic esto perpetua Academiae nostrae laus et honos, non tantum vestra frequentia, sed vestris optimis artibus moribusque, honestate, assiduitate, Professorum observantia, studiorum amore. Sic meus successor dabit vobis testimonium, quod ego lubens vobis impertior: Rectoratum mihi facilem fecistis ita ut gravi illo munere essem ornatus magis quam oneratus.

Iamque rogo clarissimum Senatus Actuarium ut novi certaminis literarii programma recitare velit.

(*Praelegitur programma.*)

Nunc munus Rectorium depono tradoque tibi, cl. Prins, quem Rex Augustissimus in sequentem annum Rectorem Magnificum creavit. Itaque, salve Rector Magnifice, iterumque salve! Sit tibi propitius Deus O. M. in munere gravissimo feliciter gerendo. Sic te Rectore floreat Academia Lugduno Batava!

DIXI.

ADNOTATIONES.

P. 7 l. 3, *festissimus dies celebraretur*. Huius festi diei celebrationem descriptam vide in Annal. Acad. L. B. 1815—16 p. 11. Cf. etiam Siegenbeek, *Geschied. der Leidsche Hoogeschool*, I. p. 418.

P. 7 l. 22, *praedicat is* sqq. V. Siegenbeek l. c.

P. 8 l. 15, *praedicabat — Kemperus*. In oratione habita die 6 m. Nov. 1815 quam vide in *Ann. Acad.* l. c. et in Kemperi Opp. a cl. filio editis II. p. 117.

P. 8 l. 16, *antea — erexerat*. V. c. orat. habita die 26 Sept. 1812 quae invenitur in Opp. laud. II. p. 45.

P. 9 l. 9, *alias Kemperus*, in orat. rect. die 8 Febr. 1816 habita. *Ann. Acad.* l. c. p. 162.

P. 10 l. 28, *utraque pars* sqq. V. decretum diei 2 m. Aug. 1815 artt. 2; 74, 75, 110; cf. decr. d. 27 Maii 1830, art. 9; d. 28 m. Iunii 1830.

P. 11 l. 28, *sordida parcimonia*. V. art. 133 decreti 1815 abrogatus decreto d. 15 Febr. 1843; art. 142 decreti 1815 et decretum d. 7 Maii 1837 a. 6.

P. 12 l. 3, *novas cathedras* sqq. Decr. 1815 a. 236.

P. 12 l. 13, *a nostro Halbertsma exopt*. V. eius Oratio hab. d. 8 Febr. 1865. L. B. ap. de Breuk ed. p. 35.

P. 12 l. 19, *non est illa culpa Decreto imp*. V. decreti artt. 67, 68, 69 coll. 132.

P. 13 l. 7, *promissam — aed. Acad.* sqq. Decr. a. 166, 179, 186. cf. decr. d. 3. Nov. 1815, a 3 quod v. in Kemperi Opp. laud. et in *Ann. Acad.* cit. p. 34.

P. 14 l. 18, *van Swieten — iecisse fundamenta*. V. Kink, *Geschichte der Univ. zu Wien*. I. p. 442 sqq. *Beil.* p. 254 sqq.

P. 14 l. 28, *quae H. edidit*. Oratio laud. p. 36.

P. 15 l. 18, *lex Fundamentalis*, sqq. V. art. 194 et art. add. 5.

P. 15 l. 22, *vir potent. — palam pronunt*. V. acta Camerae secundae Ordinum Generalium in *Bijblad* 1865—66 p. 246[1].

P. 17 l. 2, *libelli*. Diss. hist. et literaria inaug. *de Athenarum conditione sub imperio triginta tyrannorum;* Diss. iur. inaug. *ad titulum Pandectarum de fideicommissariis libertatibus*. Utraque Diss. def. L. B. d. 13 Dec. 1828.

P. 17 l. 7, *Quaestiones; Eenige aanmerkingen en vragen naar aanleiding van het Wetb. v. Strafv.* door Jhr. Mr. J. de Bosch Kemper, door Mr. D. Tieboel Siegenbeek in *Jaarb. v. Regtsg. en Wetg.* I, 421; III, 453, 649; IV, 400.

P. 18 l. 19, *ultimum diem*. Obiit Peerlkampius die 28 Martii 1865.

P. 18 l. 24, *vir — ex Brittania*. Doct. Badham, *Platonis Euthydemus et Laches*. Praefixa est epistola ad Senatum Lugd. Bat. Lond. 1865. p. LII sq.

P. 20. l. 9, *Cl. Boot*. V. *S. Aurelii Propertii libri* IV *elegia* XI *rec. et illustr. P. Hofman Peerlkamp, ed. et praef. est* J. C. G. Boot. p. 9.

P. 25 l. 25, *vita — describenda*. V. *Nederlandsch Tijdschrift voor Geneeskunde*. Jaargang 1866.

SCRIPTA

Viri Cl. HALBERTSMA.

Dissertatio historico-medica inauguralis de Antonii Leeuwenhoekii meritis in quasdam partes Anatomiae microscopiae, def. L. B. d. 3 m. Nov. 1843.

Beschrijving van den *nervus interosseus cruris* in Mueller's *Archiv. für Anatomie*, Jahrgang 1847, S. 303—312.

Oratio inauguralis: de Albini *anatomiae tractandae methodo, comparata cum ea, quam nostra tempora sibi deposcunt*, habita L. B. d. 30 m. Septembris 1847.

Bijdrage tot de ziektekundige ontleedkunde der tanden. (Verhandelingen uitgegeven door de K.-Akademie v. Wetensch. II. 28 bl.)

Over Hermaphroditismus spurius femininus. (Verhandelingen enz. III. 18 bl.)

Over eene verbinding tusschen de breede rugspier en de driehoofdige armspier bij den mensch. (Verslagen en Mededeelingen der K.-Akademie v. Wetensch. IV. bl. 238—246.)

Over de verhouding der ondersleutelbeens-slagader tot toevallig aanwezige halsribben bij den mensch. (Verslagen en Mededeelingen enz. IV. bl. 247—258.)

Anatomische en physiologische beschouwing der voorhoofdspier. (Ibidem VII. bl. 1—9.)

De sutura intra-orbitalis. (Ibid. IX. bl. 177—184.)

De Lamina mediana cartilaginis thyreoïdeae. (Ibid. XI. bl. 350—359.)

Bijdrage tot de geschiedenis van den canalis Schlemmii. (Ibid. XI. 360—367.)

De musculus thoracicus. (Ibid. XII. 164—180.)

Ontleedkundige aanteekeningen. Eerste zestal. (Ibd. XIII. 330—347.)

De afwijking van het tusschenschot der kamers en der primitieve aorta naar links, met hare gevolgen. Bijdrage tot de kennis der onregelmatige ontwikkeling van het hart. (Ibid. XIII. 348—381.)

Normaal en abnormaal Hermaphroditismus bij de visschen. (Ibid. XVI. bl. 165—178.)

De beteekenis der kleine vleugels van het wiggebeen. (Nederl. Tijdschr. v. Geneeskunde, VI. 65—67.)

Ontleedkundige aanteekeningen. Tweede zestal. (Ibid. VII. bl. 693—702.)

Beschrijving van een Oost-Indischen Idiotenschedel. (Ibid. VIII. bl. 657—661.)

De derde gewrichtsknobbel (condylus tertius) *van het achterhoofdsbeen.* (Ibid. 2 Reeks I. bl. 222—227.)

De asymmetrie der Javaansche schedels. (Ibid. bl. 228—240.)

Oratio Rectoralis de iis quae Academiae L. B. a. 1864—65 *tristia et laeta acciderunt,* habita die 8 m. Febr. a. 1865. L. B. ap. de Breuk et Smits. (*Ann. Acad.* 1864—1865. p. 5.)

INDEX OPERUM

A

PETRO HOFMAN PEERLKAMP

CONSCRIPTORUM ET EDITORUM.

Petri Hofmanni Peerlkamp, Gymn. Doccum. Rect. Dissertatio de Surdorum mutorumque institutione. Groningae, G. Kamerling, 1806. 8°.

Vitae aliquot excellentium Batavorum. Harlemi, A. Loosjes P.f. 1806. 8°.

Carmina quinque, pertinentia ad calamitatem Leidensem. Lugduni-Batav. P. van Leeuwen, 1807. 8°.

Oratio de Xenophonte Ephesio. Accedit in eundem Observationum criticarum Specimen. Harlemi, A. Loosjes P.f. 1807. 8°.

Initia lectionum Graecarum in usum Gymnasii Doccumensis. Groningae, W. Wouters, 1808. 8°.

Epistolae excellentium Batavorum, conscriptae a *P. Hofman Peerlkamp*, Gymnas. Docc. Rect. Harlemi, A. Loosjes P.f. 1808. 8°.

Petri Hofmanni Peerlkamp Carmina quinque dicata honori ac meritis Napoleontis magni. Ed. alt. Groningae, M. J. van Bolhuis, 1814. 8°.

Primum edita sub finem superioris anni, inscripta nomine *Aristogitonis Frisii*.

Const. Hugenii de vita propria Sermonum inter liberos libri duo. Primum edidit et annotatione illustravit *P. Hofman Peerlkamp*, Gymnasii Harlemensis Rector. Belgicis versibus adumbravit *Adr. Loosjes P.f.* Harlemi, A. Loosjes P.f. 1817. 8°.

Annotatio postea demum prodiit cum effigie Hugenii et liberorum ejus aere expressa, adjuncta editioni mere Latinae.

Xenophontis Ephesii de Anthia et Habrocome Ephesiacorum libri V. Graece et Latine recensuit, adnotationibus aliorum et suis illustravit *Petrus Hofman Peerlkamp*, Gymnasii Harlemensis Rector. Harlemi, apud Viduam A. Loosjes P.f. 1818. 4°.

Opdragt aan Abr. en Jeron. de Vries en Voorberigt aan den Lezer, voor: Lierzangen van *Q. Horatius Flaccus* in Nederduitsche verzen gebragt door *H. G. Oosterdijk*, in leven Med. Dr. te Amsterdam. Haarlem, Wed. A. Loosjes P.z. 1819. kl. 8°.

Oratio de vita Eliae Annei f. Borgeri, habita in tertia Classe Instituti Belgarum Regii a. d. xxvi Martii a. 1821. 4°.

In Commentationum Latinarum Vol. III.

Expositio Quaestionis ab Academia Bruxellensi propositae (a. 1818): De vita ac doctrina omnium Belgarum qui Latina carmina composuerunt, servato temporis ordine, additoque de facultate singulorum poetica judicio; auctore *Petro Hofmanno Peerlkamp*, quem nummo aureo propterea ornandum esse Academia censuit. Brux. P. J. de Mat, 1822. 4°.

In Mémoires sur les Questions etc. Vol. II.

Oratio de praecipua lege Providentiae divinae ab historico doctore observanda, habita Leidae a. d. xv Junii 1822, ad auspicandam Philosophiae theoreticae et Literarum humaniorum professionem ordinariam. 4°.

In Annalibus Academiae Lugduno-Bat. 1822—1823.

Carmen recitatum anno a condita Leidensi Academia quinquagesimo et ducentesimo. Lugduni Batav. S. et J. Luchtmans, 1825. 4°.

In Actis Saecul. Acad. — In patriam linguam convertit J. E. van Varelen. Harlemi, eodem anno.

C. Cornelii Taciti de vita et moribus Cn. Julii Agricolae liber. Edidit et annotatione illustravit *Petrus Hofman Peerlkamp*. Lugduni Batavorum, S. et J. Luchtmans, 1827. 8°.

Carmen elegiacum dicatum Collegio Spei Nauticae Amstelodamensi. In stipem Turri Speykanae. Amstelodami, apud G. J. A. Beijerinck, 1831. — Novum Carmen Latinum dicatum Collegio Spei Nauticae Amstelodamensi. Ibid. 1832. 8°.

Prodiit utrumque suppresso auctoris nomine.

Oratio habita Leidae auspicandis lectionibus, mense Octobri 1831. Leidae, H. W. Hazenberg Jr. 1831. 8°.

Q. Horatii Flacci Carmina. Recensuit *P. Hofman Peerlkamp*, Phil. theor. Mag. Lit. hum. Doctor et Professor ordin. in Academia Leidensi, Instituti Regii Nederlandici Sodalis. Harlemi, Vinc. Loosjes, 1834. 8°.

Liber de vita, doctrina et facultate Nederlandorum, qui carmina Latina composuerunt. Ed. alt. emendata et aucta. Harlemi, Vinc. Loosjes, 1838. 8°.

Oratio de perpetua, quae Academiae Leidensi cum gente Arausiaca intercessit, necessitudine, spectata praecipue in studiis Principum, habita Leidae a. d. VIII Februarii mensis a. MDCCCXXXIX, quo die Magistratum academicum deposuit. Accessit Annotatio historica. Leidae, H. W. Hazenberg et Soc. 1840. 8°.

Recusa a. 1841 in Annalibus Acad. 1838—1839.

Oratio Prorectoris magnifici *P. Hofman Peerlkamp*, publice habita a. d. 21 Septembris 1839, quo die Vexillum militum academicorum in Senaculo repositum est. 4°.

In Annalibus Academicis 1839—1840.

P. Virgilii Maronis Aeneidos libri I—VI, VII—XII. Edidit et annotatione illustravit *P. Hofman Peerlkamp.* Leidae, H. W. Hazenberg et Soc. 1843. 2 vol. 8°.

Q. Horatii Flacci Epistola ad Pisones. Edidit et annotatione illustravit *P. Hofman Peerlkamp.* Leidae, H. W. Hazenberg et Soc. 1845. 8°.

De vita et moribus R. J. Schimmelpennincki libellus. Hagae Comitum et Amstelodami, apud fratres van Cleef, 1848. 8°.

Opmerkingen betreffende de Staten-Overzetting van de Evangelien en de Handelingen der Apostelen. Amsterdam, P. N. van Kampen, 1855. 8°.
Nameloos uitgegeven.

Q. Horatii Flacci Carmina. Recensuit *P. Hofman Peerlkamp.* Ed. alt. emendata et aucta. Amstelodami, Fred. Muller, 1862. 8°.

Q. Horatii Flacci Satirae. Recensuit *P. Hofman Peerlkamp.* Amstelodami, Fred. Muller, 1863. 8°.

C. Cornelii Taciti Agricola. Recensuit *P. Hofman Peerlkamp.* Ed. alt. emendata et aucta. Leidae, E. J. Brill, 1864. 8°.

Defuncto demum auctore prodierunt:

S. Aurelii Propertii libri IV elegia XI. Recensuit et illustravit *P. Hofman Peerlkamp.* Edidit et praefatus est *J. C. G. Boot.* Amstelodami, C. G. van der Post, 1865. 8°.

Hortensius over de opkomst en ondergang van Naarden, met vertaling en aanteekeningen van Prof. *Peerlkamp*, en Nalezingen en Bijvoegsels van *A. Perk.* Utrecht, Kemink en Zoon, 1866. 8°.
Werken van het Historisch Genootschap te Utrecht, Nieuwe reeks, N°. 5.

Nec silentio praetereundae sunt complurium librorum Censurae aut relationes breviores a Peerlkampio proditae in *Bibliotheca critica nova*, quam sociis Bakio, Geelio et Hamakero, Lugduni Batavorum apud Luchtmansios, annis deinceps 1825 ad 1831 quinque voluminibus edidit: neque etiam ipsius *ad Virgilii Eclogas et Georgicorum libros animadversiones criticae*, proditae in *Mnemosyne* sive *Bibliotheca philologica Batava* Bakii et Cobetii, Vol. X. id est Novae Seriei Vol. I. 1861. Nec denique fratris *Jacobi Venhuizen Peerlkamp* Memoria, in Actis Societatis Literarum Neerlandicarum Leidensis (*Handelingen van de Maatschappij der Nederlandsche Letterkunde te Leiden*, 1865, *Levensberichten* bl. 17—23), quae scriptio, data die 6 Januarii, fere postrema fuit ab ipsius manu profecta.

ACTA ET GESTA IN SENATU,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA.

A. 1865.

Die 6 m. Martii. Recitantur literae a viro Amplissimo rebus internis Praefecto ad Senatum datae de obitu regis Augustissimi matris Annae Paulownae. Consolandi causa legationem ad Regem mittere Senatus decernit. Ad instar eius quod in simili re moris est legationis officium Mandat Rectori Magnifico et Senioribus simulque iubet Actuarium literas mittere ad regis Cubicularium quibus inquiratur, num hac opportunitate legatio Regi grata sit futura.

Die 18 m. Octobris. Senatus luget obitum viri cl. Petri Hoffmanni Peerlkamp in Fac. Phil. Theoret. et Lit. Human. olim Prof. ordin.

Rector ad Senatum refert, se cum Senioribus a Senatu delegatis ad consolandum regem ob matris obitum, hoc officio suo functos esse. Rectantur literae Curatorum d. d. 22 m. Iunii, Senatum certiorem facientium, doct. H. Kern, Benari degentem decreto Regis Augustissimi d. d. 2 m. Iunii, Professorem ordinarium in facultate Phil. Theor. et Lit. Hum. creatum, munus sibi delatum suscepisse, spemque esse fore ut mense Augusti proximo in patriam rediturus sit post aestivas ferias lectiones suas auspicaturus.

Habetur deinde Senatus Amplissimus Praeside viro Amplissimo, van der Heim van Duivendyke. Doctissimus H. Kern, munus auspicatur habita oratione cuius argumentum: *Het aandeel van Indie in de geschiedenis der beschaving en den invloed van de studie van het Sanskrit op de taalwetenschap.*

1866.

Die 13 m. Ianuarii. Recitantur literae datae die 2 m. Decembris 1865 quibus vidua viri cl. Halbertsma in hac Acad. Prof. ordinarii, de obitu coniugis viri clarissimi Senatum certiorem facit.

Luget Senatus obitum viri amplissimi van Tieboel Siegenbeek, Academiae Curatoris.

Candidati quatuor e quibus in proximum annum Academicum Rect. Magnif. a rege constituatur, designati sunt:

I. I. Prins,
G. F. R. Suringar,
R. P. A. Dozy,
I. C. G. Evers.

Candidati autem, e quibus eligatur Actuarius designantur:

I. C. G. Evers,
L. G. E. Rauwenhoff,
G. F. R. Suringar,
R. P. A. Dozy.

Recitantur literae Curatorum d. d. 17 m. Novembris Senatum Certiorem facientium decreto regis Aug. die 2 m. Nov. in Facult. Theolog. Professorem ordinarium esse creatum L. G. E. Rauwenhoff, in eadem Facultate Prof. extraordinarium.

Die 8 m. Februarii. Recitatur decretum Regium, d. d. 29 m. Ianuarii, quo in annum Academicum ineuntem Rector Magnificus creatur cl. I. I. Prins, in Facultate Theologica Prof. ordinarius.

Refert Rector Magnificus in conventu Rectoris et Assessorum cum Curatoribus habito, in proximum annum actuarium esse creatum virum clar. Evers in Facultate Medica Prof. ordinarium.

Recitantur literae Curatorum d. d. 29 m. Ianuarii quibus Senatui communicant decreto Regis diei 20 m. Ianuarii in ordine Medicorum Professores esse creatos: I. Ordinarium, vir. cl. A. Heynsium, Med. Professorem in Athenaeo Amstelodamensi. II. Extraordinarum simulque Musaei Anatomici Praefectum, cl. I. A. Boogaard, Prof. Honorarium et Musaei Conservatorem. III. Itidem Prof. Extraordinarium, doct. T. Zaayer, Prosectorem in Musaeo Anatomico eodemque decreto statutum ut viris cl. Boogaard en Zaayer, cum in Senatu tum in facultate Medica suffragii latio esset.

Rector Magnificus cum Senatu et reliquis Professoribus in Auditorium maius descendit et ex cathedra orationem habet: *De iis quae anno* 1865—1866, *Academiae laeta ac tristia acciderunt.* Deinde solemnibus verbis deposito magistratu e cathedra descendit.

PROGRAMMA

CERTAMINIS LITERARII

A

RECTORE ET SENATU ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE

DIE VIII MENSIS FEBRUARII ANNI CIƆIƆCCCLXVI

INDICTI.

Ex Regis Augustissimi Guillielmi III, liberalitate et munificentia, Rector et Senatus Academiae Lugduno-Batavae omnes Academiarum huius Regni cives et Athenaeorum alumnos, in proximum annum ad certamen literarium invitant, et quaestiones a singulis Ordinibus Academicis positas promulgant hasce:

A Facultate Theologica:

Enarretur Historia Ecclesiae Christianae, quae Romae fuit ad medium usque seculum tertium.

Ad hanc quaestionem patrio sermone respondere licebit.

A Facultate Disciplinarum Mathematicarum et Physicarum:

I.

Exponatur dilucide et ad criticam rationem, theoria mathematica et physica de effluvio fluidi elastici e vasis, quo continetur, orificio exiguo et tenuissimo.

II.

Quaeritur accurata et omnibus numeris absoluta expositio illius quam Chymici Typorum vocant theoriae.

Ad has quaestiones patrio sermone respondere licebit.

A Facultate Phil. Theor. et Lit. Humaniorum:

I.

Fontibus antea expositis atque examinatis populi Iudaei Historia et Chasmonaeorum res gestae inde ab Antiocho Epiphane usque ad Pompeii in Iudaeam adventum, accurate et eleganter enarrentur.

De dubiis, quorum disquisitio ordinem narrationis turbare possit, separatim in adnotationibus disputetur.

II.

Eorum, quos Demosthenes habuit in rep. adversarios, vita et res gestae enarrentur, ingenium et mores describantur, deque eorum rationibus et consiliis iudicium feratur.

Ad has quaestiones latine respondeatur.

A Facultate Medica:

Quaeritur, quale, sensu medico, statuendum sit pretium prophylacticis quae ad arcendos morbos epidemicos subinde adhibentur, praesidiis, tum navium ex infectis locis venientium moram, tum limites spectantibus, qui hominum commercio ponuntur atque negotiis.

Quam quidem quaestionem ad quam patrio potius quam latino sermone respondendum est, his verbis indicari posse censet Medicorum ordo:

Welke waarde moet, uit een geneeskundig oogpunt aan zoogenaamde quarantaine *maatregelen en* cordons *ter wering van epidemische ziekten toegekend worden?*

A Facultate Iuridica:

I.

Het regtsmiddel van Revisie in strafzaken. In welke gevallen behoort het te worden toegelaten? Welke pligten rusten op den staat tegenover hem, die het slagtoffer van dwaling des Regters is geworden?

II.

Hoe heeft het regt der vertegenwoordiging, om aan de Regering de geldmiddelen te onthouden tot bestuur van den staat noodig, zich historisch ontwikkeld, en in hoeverre is het bestaanbaar zoowel met de moderne opvatting van de Constitutionele Monarchie als met het positieve Staatsregt, meer bijzonder van Nederland, België, Groot-Brittannië, Frankrijk en Pruissen?

Ad utramque quaestionem nonnisi patrio sermone respondeatur.

Commentationes, aliena manu describendae, ante diem 1 m. Decembris huius anni, mittuntor ad Virum Clarissimum I. C. G. Evers, Academiae Actuarium. Singulae lemmate inscribuntor adiunguntorque schedulae obsignatae, scriptorum nomina et praenomina integra continentes, eodemque lemmate extrinsecus distinctae.

Ordinum de Commentationibus iudicia pronuntiabuntur, optimarumque commentationum scriptoribus, disquisitione ante instituta, praemia tribuentur ipso die Academiae natali a. CIↃIↃCCCLXVII.

SERIES LECTIONUM,

IN

ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

HABENDARUM, POST FERIAS AESTIVAS ANNI CIƆIƆCCCLXV.

FACULTAS IURIDICA.

R. T. H. P. L. A. VAN BONEVAL FAURE Ius Civile hodiernum interpretabitur, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... hora XII,
et die Veneris, ... I.
Legem Iudiciorum privatorum, additis exercitationibus forensibus, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... X.

H. COCK provectae aetatis causa a scholis habendis cessabit.

I. DE WAL Ius Mercatorium tractabit diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... IX.
Encyclopaediam et Methodologiam Iurisprudentiae exponet iisdem diebus, ... X.
Ius Criminale interpretabitur diebus Iovis, Veneris et Saturni, IX.
Legem Iudiciorum Criminalium tradet iisdem diebus, . . . X.

S. VISSERING Statisticam Patriae explicabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XI.
Historiam Europae diplomaticam, iisdem diebus, ... I.
Oeconomiam politicam die Iovis, ... XI et I,
et die Veneris, ... XI.
Disputandi exercitia moderabitur, diebus et horis auditoribus commmodis.

I. E. GOUDSMIT interpretabitur Iustiniani *Institutiones*, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... hora I,
et diebus Iovis, Veneris et Saturni, ... IX.
Digesta, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, II.
Historiam Iuris Romani enarrabit, diebus Iovis, Veneris et Saturni, ... X.
Disputandi exercitia moderabitur, diebus et horis auditoribus commodis.

I. T. BUIJS tradet ius gentium diebus Lunae, Martis et Mercurii, XI.
Philosophiam iuris iisdem diebus, ... XII.
Ius publicum diebus Iovis et Veneris, ... XII,
et die Saturni, ... XI.

FACULTAS THEOLOGICA.

W. A. VAN HENGEL, provectae aetatis causa, rude donatus, quantum per vires licebit, Academiae alumnis prodesse conabitur.

I. H. SCHOLTEN Theologiae dogmaticae partem formalem exponet, duce Compendio a se edifo, die Martis, ... XI,
die Iovis, ... X—XII,
et die Veneris, ... X.
Theologiam naturalem docebit, tradenda historia philosophiae de Deo medii aevi et recentiore, duce compendio a se edito, diebus Martis, Iovis et Veneris, ... I.

A. KUENEN Criticam et Hermeneuticam librorum N. Foederis docebit die Mercurii, ... XI.
et die Iovis, ... XII.
Locos N. Foederis, qui doctrinam morum spectant, difficiliores interpretaturus est die Veneris, ... XI.
Historiam librorum V. Foederis enarrabit die Lunae, ... X,
et die Mercurii, ... I.
Locos selectos historiae Israëlitarum tractabit die Veneris, . . . XII.

I. I. PRINS Epistolam ad Hebraeos interpretaturus est, die Mercurii, Iovis et Veneris, ... IX.

Theologiae Practicae partem catecheticam, pastoralem et ecclesiasticam tractabit, diebus Martis et Mercurii, ... hora X.

Exercitationes catecheticas et homileticas moderabitur, die Lunae, XI et II.

De rebus exegetici potissimum et practici argumenti cum provectioribus aget, hora vespertina postea indicanda.

L. G. E. RAUWENHOFF, Prof. extraord., Historiam Ecclesiae Christianae antiquam enarrabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, . . XII.

Locos selectos historiae doctrinae Christianae tractabit die Lunae, I, et die Martis, ... II.

De variis argumentis, ad historicam theologiae partem pertinentibus, aget hora vespertina postea indicanda.

Orationibus Sacris praeërunt I. H. SCHOLTEN, A. KUENEN, I. I. PRINS et L. G. E. RAUWENHOFF, diebus et horis sibi et Candidatis Theologiae commodis; — publice disputandi exercitationibus, die Veneris, ... II.

FACULTAS DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

I. VAN DER HOEVEN Zoologiam et Anatomen comparatam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, ... XI.

Anthropologiam s. Historiam naturalem Generis Humani exponet diebus Lunae et Mercurii, ... II.

Anatomes comparatae selecta capita explicabit, diebus Martis et Iovis, ... I.

A. H. VAN DER BOON MESCH Chymiam corporum organicorum exponet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, ... IX.

Chymiam, quae anorganica vocatur, docebit, iisdem diebus, XI.

Artem pharmaceuticam theoreticam et experimentalem exponet, diebus Lunae et Mercurii, ... XII.

Oeconomiam ruralem tradet, diebus Martis et Iovis, ... XII.

Experimenta instituendi artem docebit et Exercitia practica in Laboratorio moderabitur quotidie.

Cum Studiosis provectioribus de Physiologia chymica colloquetur, die Veneris, hora vespertina, ... V—VIII.

G. I. VERDAM Trigonometriam planam tradet aliaque argumenta tractabit, quae ad Elementa Matheseos et ad Planimetriam pertinent, diebus Iovis et Saturni, ... hora X,
et die Veneris, ... IX et X.
Stereometriam et Trigonometriam sphaericam docebit, diebus Martis et Iovis, ... VIII.
Arithmetricam universalem, sive Algebram, tradet diebus Mercurii et Veneris, ... VIII,
et die Iovis, ... IX.
Mechanicam analyticam exponet et Calculi Integralis partem superiorem tractabit, diebus Martis et Mercurii, ... IX et X.
Scholas paedagogicas habebit.

F. KAISER Astronomiam theoreticam tradet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, ... IX.
Astronomiam practicam, iisdem diebus, ... X.
Artis observandi exercitiis quotidie praeërit.
Astronomiam, quam popularem vocant, tradet diebus et horis auditoribus commodis.

P. L. RIJKE Physicam experimentalem docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, ... XII.
De Physices capitibus selectis latius et fusius disseret, diebus Lunae et Mercurii, ... X.
Physicam Mathematicam tradet, diebus Martis et Iovis, . . . II.
Meteorologiam exponet die Iovis, ... X.
Exercitiis physicis practicis praeërit quotidie.

W. F. R. SURINGAR Morphologiam, anatomiam et physiologiam plantarum exponet, diebus Martis, Mercurii et Iovis, ... I.
Phytographiam et taxonomiam docebit, selectasque plantarum familias explicabit, diebus Lunae et Veneris, ... I et II.
Cum studiosis provectioribus rei herbariae capita selecta fusius tractare paratus est, hora commoda.
Exercitia practica in structura plantarum ope microscopii exploranda moderabitur, diebus Lunae et Martis, ... II—IV.
Excursionibus botanicis praeërit tempore aestivo, die Saturni.

D. BIERENS DE HAAN, Prof. extraord., Geometriam analyticam tradet die Mercurii, ... hora III,
diebus Veneris et Saturni, ... IX.
Geometriam descriptivam, die Iovis, ... IX,
die Saturni, ... X.
Calculum differentialem, die Lunae, ... III,
die Iovis, ... II.
Calculi integralis partem elementariam, die Lunae, ... II,
diebus Iovis et Veneris, ... XI.
Analysin algebraicam, die Saturni, ... XI.
Functionum variabilium complexarum theoriae elementa, si postulabitur, hora commoda.

FACULTAS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

A. RUTGERS Ieremiae *Vaticinia* et *Psalmos* selectos interpretabitur, diebus Lunae et Martis, ... IX,
et die Mercurii, ... VIII.
Linguae Hebraeae grammaticam docebit, diebus Lunae, Martis et Iovis, ... VIII.
Primum Samuelis *librum* cursoria lectione tractabit, die Lunae, I,
et die Iovis, ... XII.
Antiquitates Israëlitarum explicabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XII.
Grammaticam Sanscritam docebit, die et horis auditoribus commodis.

I. H. STUFFKEN Logicam tradet, die Martis, ... I,
diebus Iovis et Veneris, ... XI.
Metaphysicam docebit, diebus Martis et Mercurii, ... X.
Historiam Philosophiae explicabit, diebus Lunae et Iovis, . XII.
Paedagogicam exponet, diebus et horis auditoribus commodis.

C. G. COBET interpretabitur Platonem et Aristophanem, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... X.

Antiquitates Romanas docebit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... hora XII.

Cum paulo provectioribus Antiquitatum Romanarum causa leget Tacitum et Suetonium, diebus Iovis et Veneris, . XII.

Scholas Paedagogicas habebit diebus Martis et Iovis, . . . II.

Artem metricam tradet diebus Veneris et Saturni, ... I.

Scriptores Graecos cursoria lectione tractabit die Martis hora vespertina, ... VII—IX.

Initia Palaeographiae Graecae candidatis Litterarum explicabit die Saturni, ... IX—XI.

R. P. A. DOZY Historiam universalem explicabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XI.

Varios locos historiae aevi medii et historiae recentioris exponet, diebus Lunae et Mercurii, ... I.

Literas Arabicas, Chaldaïcas et Syriacas docebit, die Iovis, I et II, et die Veneris, ... II.

Scriptorum Arabicorum locos selectos interpretabitur, diebus Lunae et Martis, ... II.

M. DE VRIES Linguam Literasque patrias explicabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... II.

Linguam Literasque patrias medii aevi explicabit, diebus Martis et Iovis, ... III.

Linguam Literasque patrias saeculi XVII explicabit, die Martis, I.

De lingua patria pure et eleganter scribenda aget, additis exercitiis practicis, horis postea constituendis.

Carminum medii aevi interpretationem criticam provectiores docebit, die Martis, ... VI.

Linguam Gothicam tradet, die Iovis, ... I, et Veneris, ... III.

Linguam Anglo-Saxonicam et Veterem Frisicam tradet, diebus et horis auditoribus commodis.

Vocabula in iure patrio antiquo et hodierno usitata etymologice explicabit, hora postea constituenda.

R. FRUIN Historiam Patriae tradet, diebus Mercurii, Iovis et Veneris, I.

Varios locos historiae patriae exponet diebus Iovis et Veneris, hora XI.

W. G. PLUYGERS interpretabitur Ciceronis Verrinarum Act. II Libr. I et II (rec. C. L. Kayser) diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... IX.

Antiquitates Graecas docebit die Martis, ... II,
et die Iovis, ... X.

Scriptorum Latinorum selectos locos Philologorum iunioribus explicabit, die Lunae et Mercurii, ... II,
die Iovis, ... VII—IX.

Veteres membranas Latinas cum provectioribus tractabit, die Veneris, ... IX—XI.

Disputandi exercitia publica moderabitur C. G. Cobet, die Iovis, ... XI.

P. O. VAN DER CHIJS, titulo Professoris extraordinarii ornatus, Numismaticam universalem docebit, diebus et horis, qui auditoribus convenient.

FACULTAS MEDICA.

G. C. B. SURINGAR Therapiam generalem docebit, diebus Martis et Iovis, ... XII.

Pharmacognosin et naturalem remediorum historiam; diebus Lunae, Mercurii et Veneris; . . . . XII.

Therapeuticum remediorum usum indicabit, diebus Mercurii et Veneris, ... IX.

Doctrinam morborum singularium tradet, diebus Lunae, Martis et Iovis, ... IX.

Praxin medicam ad lectulos aegrotantium moderabitur, diebus singulis, ... X.

F. W. KRIEGER Theoriam disciplinae Chirurgicae exponet, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, ... XI.

Exercitationibus clinicis in Nosocomio academico habendis vacabit, quotidie, ... hora II.

Collegio casuali, quotidie, ... XII.

Operationes chirurgicas demonstrabit, horis deinde indicandis.

Doctrinam de morbis oculorum exponet, diebus Martis et Veneris, ... I.

Medicinam forensem, diebus Lunae et Iovis, ... VIII.

A. E. SIMON THOMAS Theoriam artis obstetriciae exponet, diebus Martis, Iovis et Saturni, ... VIII.

Exercitationibus clinicis, in Nosocomio academico habendis, vacabit quotidie, ... IX.

Doctrinam Operationum tradet, et Operationibus obstetriciis, tum in pelvi facticia, tum in cadavere instituendis, praeërit, die Mercurii, ... I.

Gynaecologiae et Gynaecopathologiae selecta tradet, die Lunae, II.

Praxin obstetriciam, tum in Nosocomio academico, tum in Polyclinico obstetricio, quoties necesse erit, moderabitur.

H. HALBERTSMA, IUST. Fil., Anatomiam specialem et practicam docebit, diebus Martis et Iovis, ... IX et X.

Physiologiam, experimentis et observationibus microscopicis illustratam, diebus Lunae et Mercurii, ... IX et X.

Methodum secandi cadavera, quotidie, hiberno tempore, . . I—IV.

Cum discipulis de Anatomia et Physiologia colloquetur, die Veneris, ... IX et X.

I. C. G. EVERS Pathologiam docebit, diebus Lunae et Mercurii, I, et die Veneris, ... XI.

Exercitationibus clinicis, in Nosocomio habendis, praeërit quotidie, ... XI, exceptis diebus Lunae et Mercurii, ... VIII.

Polyclinico vacabit diebus Iovis et Saturni, ... XI.

Artis diagnosticae capita selecta exponet, die et hora deinde indicandis.

I. A. BOOGAARD, titulo Professores ornatus, anatomiam pathologicam docebit, die Iovis, ... hora II—IV.
Anatomen generalem, demonstrationibus microscopicis illustratam, exponet, die Veneris, ... II—IV.
Exercitiis practicis in Microscopii usu praeërit horis auditoribus commodis.

C. A. X. G. F. SICHERER, Literarum Germanicarum Lector, selecta principum Poëtarum germanicorum carmina interpretari paratus est, simul id acturus, ut his ipsis exemplis varia Poëseos genera explicet auditoribus.

P. DE IONG, Literarum Persicarum et Turcicarum Lector, linguam Persicam et Turcicam docebit eos, qui iis operam navare velint.

F. I. P. VAN CALKER, Adiutor Professoris Physices, Mineralogiam et Geologiam docebit die Martis, ... X,
et die Iovis, ... I.

NUMERUS STUDIOSORUM

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

DIE XXXI M. DECEMBRIS A. CIƆIƆCCCLXV.

In Facultate	Iuridica	. . . .	308.
〃 〃	Theologica	. . . .	69.
〃 〃	Disc. Math. et Phys.	. . . . .	24.
〃 〃	Phil. Theor. et Litt. Hum.	. .	43.
〃 〃	Medica	. . . .	80.
			524.

Praeterea in Album Academicum nomina Studiosorum in Athenaeis studiis vacantium relata sunt eo consilio ut hic examina subeant et Doctoratum nanciscantur:

In Facultate	Iuridica	. . . .	26.
〃 〃	Theologica	. . . .	4.
〃 〃	Disc. Math. et Phys.	. . . . .	3.
〃 〃	Phil. Theor. et Litt. Hum.	. . .	9.
〃 〃	Medica	. . . .	7.
			49.

DOCTORES CREATI

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

A DIE VIII FEBRUARII CIƆIƆCCCLXV AD DIEM VIII FEBRUARII CIƆIƆCCCLXVI.

IN FACULTATE IURIDICA.

D. 23 Febr. GERARDUS ANTONIUS VAN HAMEL, Harlemensis, privatim defensa dissertatione: *Over de nietigheid van den verkoop van eens anders goed*, I. U. Doctor, *magna cum laude*.

D. 24 Febr. IERONIMUS CATHARINUS DE VRIES, Hardeviciensis, publice defenso specimine cui inscriptum: *De reticentie bij de overeenkomst van verzekering*, I. U. Doctor, *magna cum laude*.

D. 1 Martii. CAROLUS DIDERICUS GUILIELMUS PAPE, e pago Sprang, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor.

D. 4 Martii. GUILIELMUS DANIEL IOSEPHUS VAN DER FELTZ, e pago Epe, publice defensis thesibus, I. U. Doctor.

D. 9 Martii. ADOLPHUS EUGENIUS ELIAS, Surinamensis, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor, *cum laude*.

D. 14 Martii. PETRUS ADRIANUS CALLENFELS, e pago Houtenisse, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor.

D. 5 Aprilis. DANIEL WICHERLINK, Zwollanus, defensis privatim thesibus, I. U. Doctor, *cum laude*.

D. 22 Aprilis. BAREND HULSHOFF. Amstelodamensis, defensa publice dissertatione: *De strafvordering in hare hoofdtrekken beschouwd*, I. U. Doctor, *magna cum laude*.

D. 15 Maii. CORNELIUS TELDERS, Dordracensis, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor.

D. 15 Maii. THEODORUS SERRARIS, Mosa-Traiectinus, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor.

D. 26 Maii. MARTINUS GERARDUS PETRUS DELCOURT, Harlemensis, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor, *cum laude.*

D. 27 Maii. CORNELIUS FOLKERT IOHANNES VAN NIEKERKEN, Haganus, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor, *cum laude.*

D. 30 Maii. ALPHONSUS IOHANNES IOSEPHUS VAN SASSE VAN YSSELT, e pago Boxmeer, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor.

D. 2 Iunii. ANTONIUS IOHANNES FRANCISKUS VERHEYEN VAN ESFELT, e pago Boxmeer, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor, *magna cum laude.*

D. 14 Iunii. EDUARDUS ISAACUS VAN LIER, Amstelodamensis, defensis publice thesibus, I. U. Doctor, *cum laude.*

D. 22 Iunii. ANTONIUS FRANCISKUS IOHANNES HUBERTUS LEURS, Ruremondanus, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor, *cum laude.*

D. 24 Iunii. IANUS GUILIELMUS MOUTON, Haganus, I. U. Doct., privatim defensis thesibus, *cum laude.*

Eodem die. ANTONIUS HENRICUS SASSEN, Sylva-Ducensis, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor, *cum laude.*

Eodem die. ALPHONSUS MARIA SASSEN, Sylva-Ducensis, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor, *magna cum laude.*

Eodem die. IOSEPHUS GUILIELMUS HUBERTUS HAENEN, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor.

D. 26 Iunii. LEOPOLDUS FRANCISCUS GUILIELMUS ERNESTUS BINKHORST VAN DE BINKHORST, Mosae-Traiectinus, I. U. Doctor, *cum laude.*

D. 28 Iunii. GUSTAVUS LUDOVICUS MARIA HUBERTUS RUYS VAN BEERENBROEK, Ruremondanus, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor.

Eodem die. ASLOMON STIBBE L. filius, Campensis, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor, *cum laude.*

Eodem die. IOHANNES EVERHARDUS SEMLER, e pago Grouw, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor, *cum laude.*

D. 29 Iunii. HENRICUS MARTINUS ANTONIUS VAN DER GOES, Haganus, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor, *cum laude.*

D. 29 Iunii. ERNESTUS POSNO, Amstelodamensis, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor.

D. 2 Oct. HENRICUS CORNELIUS FRANCISCUS RITS, Sylva-Ducensis, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor, *cum laude*.

D. 17 Oct. IOHANNES HERMANNUS VERSCHOOR, e pago Sleeuwijk, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor, *cum laude*.

D. 7 Nov. HERMANUS GEORGIUS IORDENS, Daventriensis, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor, *cum laude*.

D. 20 Nov. GERARDUS IOHANNES PRUIM, Dockumensis, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor, *cum laude*.

D. 21 Nov. ISAACUS HEYMAN GOLDSCHMIDT, Amstelodamensis, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor, *cum laude*.

D. 30 Nov. ALBERTUS HENRICUS GEVERS, Lugd.-Bat., privatim defensis thesibus, I. U. Doctor, *cum laude*.

D. 2 Dec. IANUS REINIER VOUTE, Samarangensis, publice defensa dissertatione cui inscriptum: *Bijdrage tot het vraagstuk der buitenlandsche vonnissen, aanteekening op art.* 431 *Wetb. van Burg. Rechtsv.* I. U. Doctor, *magna cum laude*.

D. 15 Dec. HUGO GAADE, Haganus, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor.

D. 22 Dec. CAROLUS NICOLAUS STORM VAN 'S GRAVESANDE, Bredanus, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor.

D. 20 Ian. PETRUS LAUWERSE, Amstelodamensis, publice defensa dissertatione cuius argumentum: *Opmerkingen over de doorhaling der hypothecaire inschrijvingen volgens de Ned. wetgeving*, I. U. Doctor.

D. 31 Ian. IOHANNES GUILIELMUS HENRICUS BENTINCK VAN SCHOONHETEN, e pago Raalte, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor.

D. 1 Febr. IDSERDUS FRANCISKUS VAN HUMALDA VAN EYSINGA, Leovardiensis, privatim defensis thesibus, I. U. Doctor, *magna cum laude*.

D. 3 Febr. HERMANUS VAN DER WYCK, Indo-Batavus, publice defensa dissertatione: *De Nederl. Oost.-Indische Bezittingen onder het bestuur van den Commissaris-Generaal du Bus de Gisignies*, I. U. Doctor, *magna cum laude*.

D. 6 Febr. FREDERICUS SALOMO VAN NIEROP, Amstelodamensis, defensa publice dissertatione: *De vennootschap met beperkte aansprakelijkheid volgens het Engelsche recht*, I. U. Doctor, *magna cum laude.*

IN FACULTATE THEOLOGICA.

D. 26 Iunii. ABRAHAM BALTHASAR VAN DER VIES, Amstelodamensis, privatim defensa dissertatione: *De beide brieven aan de Thessalonicenses*, Theol. Doct., *magna cum laude.*

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

D. 27 Martii. BARTHOLDUS MEILINK, e pago Heerde, publice defensa dissertatione: *Over determinanten*, Math. Mag. et Phil. Nat. Doctor, *magna cum laude.*

D. 19 Maii. HENRICUS IACOBUS VINKHUYZEN, Haganus, publice defensa dissertatione: *Over de ontwikkeling van de samengestelde oogen der Insecten*, Math. Mag. et Phil. Nat. Doctor, *magna cum laude.*

D. 26 Maii. THOMAS KNOTTENBELT, Amstelodamensis, publice defensa dissertatione: *De electro-statische inductie*, Math. Mag. et Phil. Nat. Doctor, *magna cum laude.*

D. 28 Iunii. IANUS LEONARDUS HOORWEG, e pago Krimpen aan de Lek, publice defensa dissertatione: *Over de veranderingen der Electromotorische kracht*, Math. Mag. et Phil. Nat. Doctor, *magna cum laude.*

D. 5 Oct. MAURITIUS SNELLEN, e pago Zeyst, publice defensa dissertatione: *Over de optische eigenschappen der natuurkunde*, Math. Mag. et Phil. Nat. Doctor, *magna cum laude.*

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM.

D. 17 Nov. IANUS VAN DELDEN, BERN. filius, Daventriensis, privatim defenso specimine: *Adnotationes ad Sophoclis Oedipum Coloneum*, Phil. Theor. Mag. Litt. Hum. Doctor.

IN FACULTATE MEDICA.

D. 16 Febr. TIALLING HALBERTSMA, Med. Doctor, Sneca-Frisius, privatim defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

Eodem die. TIALLING HALBERTSMA, Med. Doctor, Sneca-Frisius, defensis thesibus Chir. Doctor.

D. 3 Aprilis. TIAADE SPAANDER, e pago Abbekerk, defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

D. 5 Maii. ROELOF ABRAHAM ZEEDERBERG, e Promontorio Bonae Spei, defenso privatim specimine: *Over het physisch onderzoek van het hart en van de groote bloedvaten*, Med. Doctor, *cum laude*.

Eodem die. MICHAEL DE KEYSER, Med. Doctor, e pago Cromfoort, privatim defensis thesibus, Art. Chir. Doctor.

D. 19 Maii. HENRICUS IACOBUS VINKHUYZEN, Haganus, publice defensa dissertatione: *Geneeskundige opmerkingen op eene reis door het Noorden*, Med. Doctor, *magna cum laude*.

D. 31 Maii. IILLIS VAN OVERBEEK MEYER, Roterodamensis, publice defensa dissertatione: *Over den invloed der zeereizen en het verblijf in de warme luchtstreken op de ontwikkeling en het verloop van tuberculosis pulmonum*, Med. Doctor, *magna cum laude*.

D. 1 Iunii. SIMON DOEDES BREUNING, e pago Wolvega, publice defensa dissertatione: *Over den warmtegraad bij longontsteking*, Med. Doctor, *cum laude*.

D. 3 Iunii. CHRISTIANUS ALBERTUS BOS, Med. Doctor, e pago Ridderkerk, privatim defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

Eodem die. IOSEPHUS FRANCISKUS BAERKEN, Haganus, privatim defensa dissertatione: *Over een geval van aangeboren hartmisvorming*, Med. Doctor, *cum laude*.

Eodem die. HERMANNUS IOSEPHUS DE GRAAF, Lugd.-Batavus, defensa privatim dissertatione: *Over resectie van den onderkaak*, Med. Doctor, *magna cum laude*.

D. 16 Iunii. ANDRIES KOSTER, Med. et Art. Obst. Doctor, Enscheda-Transisalanus, privatim defensis thesibus, Chir. Doctor.

D. 28 Iunii. SUFFRIDUS RENIRUS HERMANIDES, e pago Hoogwoud, privatim defensa dissertatione: *Aneurisma aortae thoraceae*, Med. Doctor, *cum laude*.

D. 1 Iulii. MICHAEL DE KEIZER, Med. et Chir. Doctor, e pago Oostfoort, privatim defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

Eodem die. BARTHOLEMEUS IACOBUS WINKELMAN, Flissinga-Zelandus, privatim defensa dissertatione: *Over een osteo-sarcoma telangiectodes*, Med. Doctor, *magna cum laude*.

Eodem die. CORNELIUS VAN DER BOON, Zaandamensis, privatum defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

D. 30 Sept. HENRICUS IACOBUS VINKHUYZEN, Med. Doctor, Haganus, privatim defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

D. 6 Oct. HERMANNUS IOHANNES DE GRAAF, Lug.-Batavus, Med. Doctor, privatim defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

D. 7 Oct. BARTHOLEMEUS IACOBUS WINKELMAN, Flissinga-Zelandus, Med. Doctor, privatim defensis thesibus, Art. Obst. Doct.

D. 13 Oct. SUFFRIDUS RENIRUS HERMANIDES, Med. Doctor, e pago Hoogwoud, privatim defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

D. 1 Nov. HENRICUS IACOBUS VINKHUYZEN, Haganus, Med. et Art. Obst. Doctor, privatim defensis thesibus, Art. Chir. Doctor.

D. 4 Nov. IOSEPHUS FRANCISKUS BAERKEN, Haganus, Med. Doctor, privatim defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

D. 20 Nov. STEPHANUS BRUINING, Med. et Art. Obst. Doctor, e pago Koog aan de Zaan, privatim defensis thesibus, Chir. Doctor.

D. 22 Dec. AMBROSIUS ARNOLDUS GUILIELMUS GUYE, Mosae-Traiectinus, privatim defensis thesibus, Chir. Doctor.

D. 18 Ian. HERMANUS SIMONS, e pago Benthuyzen, privatim defensa dissertatione: *Over de typhus-epidemie te Maassluis in de maanden April en Mei* 1865, Med. Doctor, *cum laude*.

D. 2 Febr. GERARDUS IOHANNES VAN WEERINGE BORSKI, Zierecksaeanus, Med. Doctor, privatim defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

ACADEMIA

RHENO-TRAIECTINA.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORUM,

QUI

INDE A D. XXVI M. MARTII A. CIↃIↃCCCLXV AD D. XXVI M. MARTII A. CIↃIↃCCCLXVI

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

IACOBUS ANTONIUS FRUIN.

SENATUS ACADEMICI GRAPHIARIUS

IACOBUS ISAÄCUS DOEDES.

IN FACULTATE IURIDICA.

G. G. VREEDE.
B. I. LINTELO DE GEER.
I. A. FRUIN.
O. VAN REES.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

C. G. OPZOOMER.
I. A. C. ROVERS.
H. C. MILLIES.
G. G. BRILL.
H. VAN HERWERDEN.

IN FACULTATE MEDICA.

G. I. LONCQ, Corn. Ian. Fil.
F. C. DONDERS.
L. C. VAN GOUDOEVER.
G. KOSTER.

IN FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

R. VAN REES.
G. I. MULDER.
P. HARTING.
C. H. D. BUIJS BALLOT.
M. HOEK.
F. A. G. MIQUEL.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

B. TER HAAR.
I. I. DOEDES.
I. I. VAN OOSTERZEE.

LECTORES.

I. H. HISGEN, Litt. Germanicarum.
I. VENNING, Litt. Anglicarum.
M. A. E. ROBERTI, Litt. Francicarum.

P. Q. BRONDGEEST, Medicinae Lector.

DOCTORES ACADEMICI.

ED. MULDER, Professoris extraord. titulo ornatus.
A. REINECKE.

IACOBI ANTONII FRUIN

ORATIO

DE

PRIVATI IURIS NOSTRI CODICIBUS ASSIDUE CORRIGENDIS ET SUPPLENDIS,

HABITA TRAIECTI AD RHENUM

A. D. XXIII M. MARTII A. CIϽIϽCCCLXVI

QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM DEPONERET.

ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE CURATORES, VIRI AMPLISSIMI!

QUI CURATORUM COLLEGIO ABACTIS ES, VIR CONSULTISSIME!

ARTIUM AC DISCIPLINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI, COLLEGAE CONIUNCTISSIMI!

LECTORES, VIRI ERUDITISSIMI!

QUI VEL PROVINCIAE VEL CIVITATI REGUNDAE ET IURI TUENDO PRAEESTIS, MAGISTRATUS GRAVISSIMI!

ARTIUM DISCIPLINARUMQUE DOCTORES, VIRI DOCTISSIMI!

SACRORUM ANTISTITES, VIRI PLURIMUM VENERANDI!

CIVES ACADEMICI, BONARUM ARTIUM STUDIOSI, COMMILITONES EXOPTATISSIMI!

QUOTQUOT DENIQUE ADESTIS, QUI AD HANC SOLEMNITATEM CONVENISTIS, AUDITORES HUMANISSIMI!

Feretur semper et memorabitur quae secundo huius saeculi decennio in Germania et alibi orta est inter Iureconsultos dissensio de condendis aut non condendis, quibus omne ius privatum conscriberetur, legum codicibus. Huius tamen dissensionis originem et varios eventus enarrare mihi hoc tempore non est propositum. Apud nostrates si non diremta, at certe iam dudum sublata est. Nam et in plerisque Europae regionibus et in patria nostra qui scripti iuris causam agebant superiores evaserunt, et suadentibus illis conscripti sunt Codices, quibus iam utimur per triginta fere annos.

Quod quum ita sit, ipsam de qua olim certatum est quaestionem ad examen revocare et, quasi re integra, in utramque partem retractare supervacaneum et otiosum mihi videtur. Etenim qui celeberrimus habetur scriptorum Codicum adversarius, Savignius, ipse confessus est, ex ipsorum, postquam semel vigere coeperint, abrogatione maiora etiam oritura esse incommoda quam quae ex eorum institutione oritura arbitratus fuerat. Accedit quod talis apud nos est reipublicae status, ut etiamsi inter omnes constaret, pristinam iuris nostri conditionem ea quae hodie obtinet longe

fuisse praestantiorem, eius tamen instaurationi tot tantaque obstarent impedimenta, ut de ea ne cogitari quidem posset.

Praestat igitur, Auditores, acquiescere in factis, quae infecta fieri nequeunt, et aequo animo inquirere in rationes, quibus effici possit, ut incommoda, quae ex Codicum confectione aut iam orta sint aut porro oritura videantur, si non tollantur at minuantur certe et temperentur. Ac mihi quidem saepenumero permirum videri solet, hanc rem, qua nullam scio et graviorem et Iureconsultorum lucubrationibus digniorem esse, ab omnibus fere negligi et contemni. Cuncta quae legibus nostris vitiosa et inepta insunt quotidie fere recenseri et exagitari audias; de iis tollendis ne cogitatur quidem. Affirmare equidem non ausim, legislatorem, tunc cum Codices nostros conficeret, observavisse semper illud Aristotelis, summam diligentiam adhibendam esse in legibus recte ponendis, nec tamen dubito quin nunc assentiatur eidem philosopho addenti, ubi semel positae sint, iis esse standum. Quod mihi non tam incuriae et socordiae imputandum videtur, quam potius inde explicandum, quod Codicum naturam indolemque non adeo omnes bene perspectum habent. Meyerus quidem noster et caeteri conscribendi iuris patroni non tam imbecilli erant ingenio, ut post confectos Codices legislatorem sibi pulcrum et beatum videri sempiternoque otio quiescere posse putarent. Putabant illi et docebant, ne optimas quidem leges ita esse plene cumulateque perfectas, ut nihil in iis immutari, nihil iis aut detrahi aut adiici oporteret. Quinimo perpetua et quotidiana fere opus esse emendatione saepius ostenderunt. Verum ex nostrorum hominum memoria iam dudum hoc abiisse mihi videtur. Aut enim confitentur quidem, necessariam aliquando fore repetitam Codicum praelectionem, sed quoties quaerimus, quando tandem rei futurum sit initium, tempus nondum venisse respondent. Aut in plane diversam abeunt sententiam, et quod nos a legislatore petimus auxilium, non nisi a iuris interprete praestari posse contendunt. Facta est quidem ante hos paucos annos repetita legis Iudiciariae praelectio, et novae nuper ad Ordines latae sunt rogationes de methodo procedendi in causis tum civilibus tum criminalibus. Sed qui maxime ius privatum spectant Codices, Civilis et Mercatorius, per omne quod viguerunt tempus nulla fere in parte mutati sunt.

Quae legislatoris negligentia quum mihi videatur perniciosissima, quum omnia, quae Savignius ex Codicum confectione oritura praedixit, incommoda et nunc iam sentiantur, et, nisi quam primum iis occurratur, in diem futura sint maiora, nullo in argumento meam commodius orationem versari posse arbitror, quam si quid praesens iuris conditio a legislatore flagitare mihi videatur pro virium modulo exponam. Dicam igitur de *Privati Iuris nostri Codicibus assidue corrigendis et supplendis.* Argumento tam ubere et late patente ut, ne vobis molestus fiam, brevitati studeam necesse sit. Quod me facturum omni asseveratione Vobis confirmo. Nam etiamsi hoc consequerer, quod certo non consequar, ut quibusdam Vestrum dicendo placerem, iisque igitur nimis brevis esse viderer, multo tamen suavius est, id quod Mureto assentior, abeuntes dicere: cur hic tam cito desiit? quam abire cupientes: quando tandem hic desinet?

Argumentum, quo in primis usus est Savignius ad refellendas eorum sententias, qui ante hos quinquaginta annos generales conficiendos esse iuris privati Codices in Germania clamitabant, petitum est ex temporum ratione, arduo huic operi minime idonea. Ad hoc videlicet perficiendum, etiamsi nihil aliud ageret legislator nisi ut diffusa dissipataque iura cogeret inque unum legum corpus redigeret, mascula demum et solida iurisprudentia tuto procedi posse ostendit. Sic et omnibus semper Iureconsultis et Baconi quoque visum fuit, qui "optandum esse" dixerat, "ut legum instauratio illis susciperetur temporibus, quae antiquioribus, quorum acta tractarent et opera, literis et rerum cognitione praestarent." Ea autem tempora, ineunte hoc saeculo, nondum venisse Germaniae non solum affirmavit verum etiam probavit Savignius. Nec vero nostrae tunc patriae advenerant. Tristem temporis illius in Germania iuris civilis conditionem, a Savignio demonstratam, contemplantibus nobis sponte in mentem venit illud: mutato nomine de te fabula narratur. Neque enim tunc apud nos scientia iuris superiora tempora superabat, verum deminuta et quasi de qualicunque gradu, quo antea fuit, iacebat delapsa. Nec si Kemperum et unum et alterum praeterea excipias, reperisses Iureconsultos, quibus, etiamsi aetas illa rei conficiendae magis fuisset idonea, universa legum descriptio mandari tuto potuisset. At aetas ipsa non favebat sed contraria

magis erat legum descriptioni. Vetus ius patrium, recepto iure Francico, et progressione carebat et explicatione destituebatur, et ne ita quidem ut oportebat dignum habebatur cognitione. Ius Francicum, recens inductum, non radices egerat neque aut usu aut scientia satis comprehendebatur. Accedebat quod de ipsa, quam in conficiendis Codicibus sequerentur, ratione ab initio inter legislatores non constabat. Batavi Codices volebant vere patrios, non quidem a Napoleonticis omnino diversos, sed patrios tamen et patriis moribus congruos. Belgae contra aliam sententiam propugnabant. Nimirum idem volebant quod antea Ludovico regi placuerat, Codices patria quidem lingua conscriptos, revera tamen Francicos et ad Napoleonticarum legum imaginem expressos. Et videbatur quidem prior sententia superare, verum, si id quod factum est spectamus, voti compotes fuerunt eius adversarii. Postea enim quam Belgae a Batavis separati sunt, facta est quidem latorum Codicum repetita praelectio, et dicebatur ea demum adaptanda esse moribus nostris, et, ab omni exterorum labe immunis, vere fore Batava. At qui tum confectus est Codex Iuris Civilis huiusmodi est, ut potius appellandus sit nova Codicis Napoleontici editio. Auctiorem tamen et emendatiorem editionem appellandam esse haud facile affirmaverim. Iam obmutuerat vox Kemperi, iam exemplum illius et adhortatio in oblivionem abierat: qui quidem quum anno huius saeculi sexto decimo et iterum vicesimo opus condidisset, eruditius fortasse quam ad communem utilitatem necesse erat, at tamen et eruditum et utile et omnino praeclarum, frustra laborasse et locutus inania videbatur. Viginti quinque anni disputando et haesitando, nihil decernendo, nihil constituendo, in omnibus rebus paciscendo et transigendo transacti sunt. Qui postquam transacti sunt, opus prodiit, non tantum eo quod Kemperus proposuerat longe inferius, verum mea quidem sententia etiam Francico Codici postponendum. Nec de Codice Mercatario meliora esse iudicia possunt. Est quidem fortasse melior Codice Civili, praestat etiam aliquo modo Codici Francico, ad cuius exemplar compositus est. Quodsi vero talem quaerimus qualem esse oportebat, etiamsi eum non exigimus ad verae utilitatis et perfectae cuiusdam legis exemplar, sed si comparamus eum cum eo Codice, qui ante hos paucos annos in Germania constitutus est, nostro tunc Codici et ad iurisprudentiam et ad usum permulta deesse apparebit.

Nolite, Auditores, hoc de Codicibus nostris iudicium nimis severum arbitrari. Verum illud esse docet quotidie experientia, nec mihi difficile est certis ad comprobandum argumentis uti. Nam primum in singulis Codicum titulis multae sunt definitiones, quae non indignationem tantum verum etiam risum interpretibus movere solent. Reperias praecepta, quae legislator sumsit ex legibus Francicis, verbum de verbo sibi exprimere visus, at documenta daturus, quanta praeditus esset linguae illius ignorantia, ex qua leges in nostram linguam transferebat. Alia ex Francicis desumta exemplis apud nos et ratione et usu carent, quia derivantur ex placitis iuris, quae in Francia valent et apud nos ignorantur. Vultisne exemplum huius incuriae dicam an stultitiae? Inspicite articulum Codicis Civilis [1], quo quum agatur de Obligationibus dividuis, distinguitur inter heredes, ad quos defuncti possessio quasi iuncta descendit, et illos, quibus possessionem petere necesse est. Optime hoc discrimen ponitur in Francico Codice, ridiculum vero est iure nostro, quo nulla talis heredum distinctio est.

Sunt huius generis incuria referti Codices nostri. Sed haec quidem parva esse existimemus et missa faciamus. Maiores esse reprehendendi causas dolendum sed non silendum est. Sunt in legibus nostris tota capita, omnium peritorum consensu tam prave constituta ut peius constitui non potuerint. Quid enim de eo Codicis Civilis titulo iudicandum est, in quo doctrina de Possessione exponitur? Qui totus rudis instar indigestaeque molis est, ineptissimorum praeceptorum farrago. Atqui is titulis scriptus est postquam Savignius opere immortali eam iuris materiam illustravit, et promulgatus scilicet postquam Florentius Adrianus Hallius nihil in eo vel bene constitutum vel bene descriptum esse ostendit! Quod universe de Possessione iudicavit Leyserus, impeditissimum et spississimis obvolutum tenebris esse iuris argumentum, id rectius de nostro titulo affirmes. Scatet enim, si quis alius, legibus inter se repugnantibus, partim ex Romano, partim ex vetere Francico iure sine ulla ratione conflatis, quarum ex repugnantia efficere concordiam frustra laborant interpretes, ita

---

[1]) Art. 1335.

ut saepe in re desperata exclament: Davus ego sum, non Oedipus. Utque aliud exemplum sumamus: quid iudicandum est de iure Obligationum dividuarum et individuarum, quod in Codice nostro ita confuse, ita sine ulla ratione tractatum est, ut vere dicatur Labyrinthus, quem ne Molinaeus quidem se extricare posse polliceretur? Sunt denique per totum Codicem sine ordine dispersa praecepta de negotiis, quae propter aliquem iuris defectum habenda sunt irrita et inutilia, tam obscura omnia et inter se contraria, ut irritos et inutiles reddant omnes Iureconsultorum interpretandi conatus. Quodsi porro animum advertimus ad Codicem Mercatorium, idem plane praebetur spectaculum vel potius eaedem praebentur tenebrae. In Iure Cambiali ignoratur adhuc, an ullam rationem legislator secutus sit, aut, si secutus est, quae sit illa ratio. De cambio falso frustra conatus certas proponere regulas, iudicium permisit arbitrio iudicis. Tantam ergo confessus est legislator suam ipse sapientiam, ut quod ipse nesciret, id iudicem diceret scire oportere. Assignatio quid sit secundum legem nostram, nondum vel Iureconsultus aliquis vel mercator intellexit. Et de vindicatione mercatoria quid plura dicam? Quot quantas quam incredibiles lites illa peperit! Nam ubivis in ea repugnantia est inter ius Romanum de dominio et ius Germanum quo definitur: Mobilia non habere sequelam.

Satis multa exempla attuli, ut nec iniquum nec nimis severum de legibus nostris meum iudicium esse videatur, utque Savignio assentiamur, tempus illud, quo perlatae sunt, non fuisse tanto operi idoneum. Verum adhuc dixi de iis institutis, quae quum essent male posita, erant in legibus posita tamen. Alia vero instituta, quorum constitutio in legibus requiritur, ne posita quidem sunt sed plane praetermissa. Codicibus nostris tam multa desunt, ut plura vix deesse possint. Neque nunc id volo, in nonnullis satis bene scriptis legibus interdum deesse quaedam, quae idonee suppleri per analogiam possint. Verum tota capita iuris privati praetermissa sunt. Novistis doctrinam de Universitatibus: eas autem duplices scimus omnes, alteras personarum, quae a recentioribus corpora moralia dici solent, alteras rerum, etiam pias causas appellatas. Ne legislator quidem duplex hoc genus universitatum esse ignoravit, id quod ex eo apparet, quod de universitatibus personarum leges scripsit; universitates vero rerum nomine quidem et verbo in transitu attigit, sed quales habendae sint et quomodo

regi debeant et administrari, nec descripsit ulla lege nec definivit. Quae negligentia eo minus ei videtur condonanda, quod in Specimine anni huius saeculi vicesimi Kemperus diligenter exposuit discrimen, quod inter utrumque intercedit universitatum genus. In doctrina de Statutis Realibus res immobiles tantum tractantur; de mobilibus nulla fit mentio, et tamen hac nostra aetate, quae ipsa non est immobilis, res mobiles haud parvi sunt momenti. Actiones et exceptiones alto silentio legislator praeteriit. Celeberrima vero, quae inter Iuris interpretes agitari solet, quaestio, utrum ea quae temporalia sunt ad agendum perpetua necne sint ad excipiendum, in uno tantum actionum genere definitur, in reliquis omnibus siletur. Singula persequi longum est, verum quis est, cui non incredibile videatur, gravissimum, qui est de Obligatione Naturali, iuris locum ita prorsus a legislatore esse neglectum, ut semel tantum id vocabulum usurpet, nihil definiens? Et in Codice Mercatorio non minus multa vel potius plura desunt, quae deessê non oportebat. Compara eum cum Codice eo, quem nuper Germani confecerunt, in quo multa egregie pertractantur, mandatum mercatorium, actio institoria, emtio venditio, alia, de quibus apud nos ne mentio quidem ulla reperitur.

Atque in legibus nostris quum tam multa sint male tractata aut neglecta prorsus, accedit alia reprehensio, quae est in orationis compositione. Ornatum et nescio quam elegantiam legislator respuat, at legum scriptio concinnitatem certe desiderat et perspicuitatem. Ut omnis oratio, ita lex constat verbis, et habent verba suam significationem. At in delectu verborum nostri homines ita negligentes fuerunt, ut saepenumero eandem rem diverso modo aut eodem modo diversas res expresserint. Atque interdum verba contrarium significant eius sententiae, quam exprimere voluit legislator. Magna, ut exemplo doceam, est quaestio, utrum peregrinum apud nos sua sequantur statuta personalia an status eius civilis nostris legibus subiectus sit. In qua quaestione definienda, haec una difficultas est: liceatne a lege, quae hac de re scripta est, decedere, propterea quod legislatorem aliud scripsisse, aliud voluisse aliunde constet. Nam huius quidem legis verba significare non id quod legislator voluit, sed quod noluit, tum ex aliis argumentis, tum ex legis historia luculenter apparet.

Et his tamen legibus, haud uno nomine vitiosis et imperfectis, ita usi sumus adhuc, ut multum profuisse videantur. Habuimus enim iudices et interpretes peritos, prudeutes, cautos, consideratos. Potest sane prudens interpretatio multa legum vitia mitigare, idque nostra in patria revera fecisse dicenda est.

Verum ne nimium ab interprete speremus! Potest ille ex scripto aliquid supplere quod non scriptum sit; potest, si alterum praeceptum non conveniat alteri, non tollere quidem eam repugnantiam, sed tamen incommodum, quod ex ea nasci videatur, aliquo modo lenire. At malam legem bonam facere non potest. Ubi de legis sententia constat, adstrictus est legi interpres, quamvis prava et iniqua ei videatur. Scio quidem non semper hoc apud nos observari. His proximis maxime annis invaluit quoddam interpretandi genus, quod qui sequuntur sunt illi non interpretes sed emendatores et correctores legum nominandi. Neque enim quid scriptum sit unice quaerunt, sed quomodo id quod scriptum sit corrigendum esse videatur. Quod quidem remedium audeo dicere ipso malo esse peius. Nam hoc modo si grassari licebit, tot erunt legumlatores, quot erunt interpretes, ipsa lex tolletur de medio, invalescet quaevis iudicandi licentia, et pro una lege erunt tot sententiarum varietates, quot videbuntur his, quos dixi, interpretibus commodae. Veteribus iam persuasum fuit, iudicis arbitrio quam paucissima esse permittenda: hi vero omnia permittunt arbitrio iudicis. Atque hoc quum semper sit valde improbandum, apud nos quidem omnium minime ferri potest. Nam nemini nolenti mandatur iudicis officium, verum ab illis qui suscipiunt, id quod totidem verbis perscriptum est, postulatur, ut ius dicant secundum legem, sibique de legis aequitate iudicare non licere intelligant. Equidem non existimo interpretem legis esse servum scriptorum verborum. Legum scientia non mihi ea videtur, si quis verba earum teneat sed vim ac potestatcm. Persuadeo mihi non oportere ius civile calumniari nec verba captare, sed qua quid mente dictum sit animadvertere. Verum verba captare et verba pro nihilo putare, haec quidem nimium quantum inter se differunt. Recte quidem Baco illos reprehendit Iureconsultos, qui tam anxii et tenaces sint verborum, ut tam-

quam e vinculis sermocinentur. Verum multo maius malum ex omni verborum negligentia oritur. Reputent hoc illi secum, qui Codices scriptos esse volunt, qui iurisprudentiam Codicibus scriptis provehi cupiunt et emendari; reputent et singulas leges et totos Codices constare verbis, et intelligant, neglectis verbis, negligi leges et Codices et illam iurisprudentiam tolli, quam Codicibus et legibus fundari oportere existimant!

Quodsi vero, Auditores, Codicum nostrorum vitia interpretatione tolli non possunt, an idcirco ea vitia manebunt, nocebunt, et quodvis detrimentum facile tolerabitur? Num ita femur,

fertur ut acta
Praecipiti pinus Borea, cui victa remisit
Frena suus rector, quam Dis votisque reliquit?

Certe iam, si haec valebit sententia, eam quaestionem, quam initio orationis commemoravi, ita diiudicabimus, ut assentiamur iis qui nullos legum Codices condendos esse contendunt. Perfectas enim leges ne tum quidem scribi posse, quum iurisprudentia egregie sit cumulateque exculta, quis dubitabit? Savignius quidem optandum esse non putavit, ut Codices conficerentur, bonos tamen confici posse non negavit. Tempore eo, quo ius Romanum floruerit maxime, ad legum institutionem tuto procedi potuisse iudicavit; Papinianum arbitratus est, Paulum, Ulpianum egregios, si voluissent, futuros fuisse legumlatores. Utrum igitur legibus eorum, si in usum abiissent, nihil umquam deesse apparuisset? an experientia docuisset, ibi quoque aliquid interdum reperiri vel vitiosum vel ineptum vel impediens potius quam adiuvans aequitatem? Certe, si quid apparuisset eiusmodi, id quod fieri necesse fuit, non continuo quodvis damnum interpretatione vel liberrima tolli potuisset. Verum id Romanis non tantum attulisset mali, quantum nostrarum legum vitia afferunt nobis. Stant suae populis laudes: cedat artibus Graeciae Latium, sed utilitatem rerum nulla gens mortalium intellexit magis. Non devicerunt orbem terrarum Romani nescio qua umbratili ac delicata sapientia; sed quid quovis tempore agendum esset intellexerunt, et rempublicam imperiumque habuerunt, non unius hominis vel aetatis opus sed saeculorum. Eadem utilitatis et actionis intelligentia rexisset Codicum usum. Intellexerunt illi, quid esset

ius, quid esset scripta lex. Ut habuerunt edicta Praetorum, semper ius tuentia et quotannis tamen ad utilitatem accomodata, ita, si Codices habuissent, eos suo tempore emendatione indigere intellexissent. Quam emendationem quomodo effecissent, nunc nobis non propositum est investigare. Verum nostrarum legum emendationem requiri quum satis disputaverimus, iam quomodo ea fieri debeat, quaerendum est. At quid dico quaerendum esse id quod apparet? Ab interpretibus frustra auxilium et medelam peti intelligimus. Agite ergo. Leges dedit legislator: afferunt eae leges incommoda, auferat ea incommoda idem legislator, emendet ipse quae scripsit vitia. Sic omnibus semper visum est, qui legum Codices conficiendos esse putarunt, sic etiam nunc videtur exteris. Post conditos Codices Napoleonticos non fuit certa et constans in Francia rerum progressio, fuit tamen ad hunc usque diem constans legum emendatio. Neque aliter vel faciendum putarunt vel fecerunt Germani. Habent illi legem Cambialem, multo Codicibus nostris recentiorem; iam vero ea ad examen revocata et Novellis, quae dicuntur, Norimbergensibus aucta et amplificata est. Nostri vero homines legiferi bonis aliorum exemplis non commoventur. Meliora etsi videant deteriora sequi pergunt. Utimur nos Codicibus ante hos vigintiquinque amplius annos confectis, et ita quidem utimur, ut nihil fere per id omne tempus in iis immutatum sit. Nec tamen quid ipsa Codicum ratio ferat in incerto est. Omnes fere, qui aliquid in iis rebus sapere existimantur, emendationem ab ipso legislatore postulant. Quae igitur cessatio est? Eadem, Auditores, est cessandi causa, quae retardat apud nos in rebus omnibus emendationem, quae efficit quoque ut Academiae nostrae premantur magis quam regantur institutis et legibus iam huic tempori non accomodatis. Quippe nostri homines aut cuncta aut nihil emendandum esse existimant; certas quasdam rerum partes emendare cummaxime verentur. Leges nostras nondum satis diu in usu fuisse dicunt ut iam nunc universa fiat earum emendatio; et nec iurisprudentiam satis excultam esse, necdum de omnibus rebus eum esse Iureconsultorum consensum, ut novi iam Codices feliciter condi possint. Quasi nos mehercule totos novos Codices flagitemus. Profecto, ei rei haec aetas non est idonea, et, si novas leges perfectas esse oportebit, nulla umquam aetas idonea erit. Multi anni, multa saecula praeteribunt, priusquam vel singula Codi-

cum nostrorum vitia reperta et demonstrata erunt, vel omnes Iureconsulti de gravissima quaque quaestione inter se consenserint. O miseram nostram patriam, si propterea manere debebunt nec tolli poterunt ea legum vitia, quae iam nunc et intelliguntur et sentiuntur ab omnibus. Dixi modo quam vitiose definiantur iure nostro peregrinorum statuta personalia. Nec tantum de eo vitio, verum etiam de certa eius tollendi ratione una est omnium eademque sententia. Quae igitur causa esse potest, ut ea ineptae illius legis emendatio ad totam omnium legum emendationem, id est ad Kalendas Graecas, differatur? Quodsi nihil praeterea fieri potest, at illae tamen difficultates demi et expelli possunt, quae ex obscura perplexaque legum descriptione oriuntur. Denique quidquid nunc bene fieri potest id iam fiat. Paucis contenti sumus. Intelligatur modo aliquid et emendari posse et emendari oportere: admoveatur manus operi. Semel facto initio non subsistetur continuo, sed ducibus experientia et scientia pedetentim gradatimque poterit ad meliora perveniri.

Quum vero disputatio nostra omnis in legum emendatione commendanda versetur, et in causa hoc maxime a nobis positum sit, leges nostras iam tum, quum scriberentur, vitia contraxisse, obiiciet forte mihi quispiam, eam emendandi necessitatem esse fortuitam, et esse eam apud nos, apud alios fortasse non esse. Quod si ita esset, nihil de mea sententia detraheretur: dico enim de legibus nostris emendandis, non de aliarum gentium legibus. Sed per se ipsa semper et ubivis emendatio necessaria erit. Perfectos enim legum Codices a mortalibus condi non posse et ego ostendi et nemo inficias ibit. Nimirum ea est humani generis imbecillitas, ut ne a summis quidem artificibus conficiatur opus, omnibus suis numeris et partibus expletum. Atque id si in aliis artibus verum est, certe maxime valet in legum ferendarum arte ardua magnaque et haud scio an una omnium maxima. Tot tantaeque enim in legislatore requiruntur ingenii dotes, tam ingens doctrinae copia diversissimarumque rerum cognitio, ut ne praestantissimos quidem Iureconsultos immensae huic rei pares inveniri non est quod miremur.

Accedit alia et gravissima causa in ipsa iuris natura posita. Neque enim eo consilio scribi solent Codices, ut iura et leges, quibus exinde usura sit civitas, certa semel et decreta fiant, et vitae civilis negotia ad

eorundem praeceptorum normam in perpetuum dirigantur. Fuerunt sane et adhuc sunt qui, hunc ipsum sibi finem proponentes, idcirco maxime conficiendos esse Codices clamitent, ut leges constituantur sempiternae et immortales, quibus in omne tempus valituris nec obrogari fas sit nec derogari liceat. Verum per eiusmodi somnia quum confundant iuris aeterni divinitatem et humanarum legum utilitatem, utramque subvertunt. Est quidem insitus in animis hominum immortalis iustitiae sensus, est sempiterna ratio a natura profecta, ad recte faciendum impellens et a delicto avocans: iura vero et leges pro temporum et gentium et rerum varietate alia sunt et flectantur oportet et varientur. Hoc ipsa flagitat iustitia, cuius praecipuum munus est ut in rebus omnibus ius aequum servetur. Aequum vero ius esse non potest, nisi cum moribus populi congruat: qui quum ipsi non sint stabiles, sed alii aliis temporibus et varii, ne ius quidem semper idem servabitur, at variabitur pro moribus. Hoc bene perspectum habuit Sextus Caecilius Iureconsultus, qui Favorino philosopho, obsoleta quaedam legis Decemviralis capita reprehendenti, verius quam ornatius haec respondisse fertur: Non profecto ignoras; legum opportunitates et medelas pro temporum moribus, et pro rerum publicarum generibus, ac pro utilitatum praesentium rationibus, proque vitiorum quibus medendum est fervoribus, mutari atque flecti neque uno statu consistere; quin ut facies coeli et maris ita rerum atque fortunae tempestatibus varientur. [1])

Quodsi igitur ipsa iuris ratio fert, ut non semper una atque eadem voce loquatur, si alia aliis temporibus conveniant instituta, a quo quaeso nisi a legislatore auxilium petas, ut obsoleta antiquentur, nova vero et utilia quae prodeant sanciantur firma auctoritate? Consuetudinis enim ius, cuius magna est et esse debet auctoritas, hac tamen qua nos vivimus aetate non tantum valet ut legem vincat. Quod apud Romanos rectissime receptum fuisse tradit Iulianus, ut leges non solum suffragio legislatoris sed etiam tacito omnium consensu per desuetudinem abrogarentur, id hodie, ut alias gentes taceam, a nostrarum legum proposito alienum est. Nec mea quidem sententia immerito. Fremant omnes licet, dicam quod sentio; parum suum iuris certi constituendi propositum adsequerentur legislatores, si Codicum

[1]) Gellius XX, 1.

praecepta quotidie fere in dubium vocari et per contrarios civium usus tolli denuo sinerent. Quocirca non vituperandos equidem sed laudandos nostros homines censeo, quod in ipso Codicum prooemio Iuris consuetudinarii auctoritatem certis angustisque circumscripserunt finibus, et diserte praeceperunt, leges non sua ipsarum vetustate consenescere, sed nisi novis perlatis legibus non abrogari.

Hoc tamen praeceptum quum probem magnopere, ita demum probandum est, si cavet legislator ne leges consuetudini repugnent. Simul atque hoc fiet, mutari debebunt, ne populus pro legis reverentia evitationem legis sibi requirendam esse existimet. Rerum enim natura magistratuum decretis commutari non potest. Vetare possunt legislatores quominus consuetudini obediatur, obmutescere eam frusta iubebunt. Vox eius, oppressa licet, audietur tamen. Monebit, hortabitur, urgebit, instabit. Flectere si nequit superos Acheronta movebit, quas abrogare non valebit leges perruptura tandem et perfractura.

Qualis tunc sit rerum status futurus, omnium in oculis est. Luculentissimum exemplum praebet iuris mercatorii in patria nostra praesens conditio. Permulta huius iuris capita obsoleta atque ita ab hodiernae vitae necessitatibus aliena esse, ut in communi mercatorum odio versentur, nemo est qui nesciat. Merito igitur exspectaveris, legislatores, re cognita, nihil habuisse antiquius, quam repetita illorum capitum praelectione mercaturae quam citissime possent auxilium ferre. Quod ut factum sit tantum abest, ut per triginta fere annos ad adiuvandas res mercatorias nihil omnino fecerint. Hac legislatorum socordia dicam an pertinacia quae tandem facta sit iuris conditio haud facile quisquam crediderit. Omnia incerta sunt, omnia in dubium vocantur. Legibus enim ineptis et nostro tempori non consentaneis aut omnino non parent mercatores, aut ita parent, ut, salvis verbis, sententiam earum circumveniant. Unum et alterum exemplum afferre lubet. Pignus iure nostro non contrahitur nudo pacto, sed in magnis certe rebus scripturam requirit, et insinuationem in acta publica, quam ferre nullo modo potest celeriter conficiendarum et coniungendarum inter se actionum necessitas. Negligunt igitur et praetermittunt eam mercatores, et, aliud agentes, aliud simulantes, pangunt pro pignoribus emtiones venditiones, adiectis pactis de retrovendendo. Assecurationes nemo vel stipulatur vel

promittit, quin polissa expressis verbis doceat, permulta legis praecepta non esse valitura. Quid multa? In toto fere iure mercatorio scriptae legi privatorum pacta derogare vides. Quodsi ex eo nihil aliud oriretur nisi ius incertum, dolendum tamen esset, id esse incertum quo nihil certius esse debeat. At mores, suntne hi negligendi? An legislator probitatem habebit pro nihilo, et nihil interesse putabit inter illam et improbitatem? Leges nostrae de debitorum obaeratorum patrimonii liquidatione nihil habent quod hominibus nostris conveniat. Singula earum capita liquidationem non tantum retardant et impediunt, verum etiam, si iis obtemperatur, sumtus tam ingentes fiunt, ut creditores nihil fere accipiant, et, si quid ex patrimonio restat id publico aerario obtingat. Quid vero ex hac causa efficitur? Ut mercatores legem scriptam non scriptam esse existiment, et lege destituti semet ipsos adiuvent. Debitores, perinde ac si nec iudices essent nec iudicia, paciscuntur cum creditoribus, idque pactum, quamquam utrisque damnosum, semper tamen minus damnosum est quam legitimus creditorum concursus. Nolite existimare, Auditores, si communem reipublicae salutem spectetis, hoc eodem redire. Etenim debitor obaeratus, si fraude dolove malo usus est ideoque puniri debet, tunc demum reus esse potest, si iudicis sententia pronuntiatum est eum foro cessisse. Ita leges nostrae summam saepe impunitatem proponunt scelestissimis mortalium. At Ciceroni videbatur lex esse recti praeceptio pravique depulsio! Alterum exemplum afferam. Vetat lex nostra proxenetam mercaturam facere earum rerum quarum est proxeneta. Munus suscipiens, iureiurando se ei legi obstringit. Mox tamen intelligit fieri non posse ut fidem et iusiurandum servet. Mercatura enim his temporibus est eiusmodi, ut nemo proxeneta esse possit, nisi interdum suo marte emat aliquid et vendat. Ita ipsa lege cogitur commoda sua negligere aut peierare. Eram nuper in aliqua urbium nostrarum et intereram proxenetarum concilio: omnes erant viri integrae famae et existimationis, omnes aperte confitebantur, si verba legis observanda essent, se esse periuros, et cum virili et generosa indignatione vehementer postulabant, ut tandem aliquando tolleretur ille scrupulus, illa conscientiae deceptio, quam legislator iusiurandum et Dei immortalis invocationem appellet. Quid quaeritis? Huiusmodi exempla iam certe dubitare vetant, quin leges nostrae emendatione indigeant.

An creditis, Auditores, interpretem his tantis malis mederi posse? Nolite hoc arbitrari. Certe non omnia a legislatore sperare oportet. Quodsi enim his temporibus frequens inter se hominum commercium quotidie fere nova negotia novasque conventiones parit, quorum ne nomina quidem iure civili prodita sunt, vel quorum certe, si iam prius fuerunt, ratio mutata prorsus est et mutatur, non a legislatore statim — id quod Goudsmitio nostro assentior — sed a iuris interprete auxilium petendum est. Huius enim officium est amplecti ea quae utilitate et aequitate se commendent, et radices agere coeperint; eorum quasi imperii sui potiri, investigare eorum cum constituto iure et tradito convenientiam, ex hac convenientia certas deducere regulas iisque quasi iuris signum imprimendo in systemate locum assignare. Sed ubi leges repugnant sententiae populi, non potest interpretatione ea repugnantia tolli. Quod nigrum est id interpretando non effeceris album. Et videmus in patria nostra quid inde oriatur. Pertinaciter emendationem legislator recusat, mercator ab interprete auxilium petit: hic torquendo flectendoque legis sententiam, quantum potest utilitati et necessitatibus subvenit. Sed ita lex elusa est, constantia iuris amissa et commercium hominum inter se impeditum. Neque enim omnes iudices et interpretes adduci facile possunt, ut legem, in quam iuraverunt, non scriptam esse existiment; atque hinc orta est iurisprudentia dubia et vacillans, factumque quod Baco pessimum exemplum appellavit ut curiae, quae pacem subditis praestent, inter se duella exerceant.

His rebus, quae iam ferendae non sunt, nemo nisi legislator finem facere potest. Caremus nos Praetoribus Romanis, qui Edictis suis ius civile adiuvabant, corrigebant, supplebant et vitae commerciique humani necessitatibus adaptabant. Omnia conanima hunc morem Romanum vel aliquid quod esset eius utilitati simile in civitates recentiores transferendi, caruerunt effectu. Anglorum curiae Censoriae, quarum erat officium curare, ut esset et maneret iuris et aequitatis inter se consensio, magnopere a Bacone commendatae, locum suum retinere non potuerunt et sensim paulatimque degeneraverunt. Quae acute excogitavit Schraderus non satis usui accomodata esse reperta sunt. Etiam Holtii nostri sententia, tribuendam esse Curiae Supremae potestatem legis supplendae, in Francia, ubi aliquo modo id factum est, fructus non tulit et in patria nostra iam a nemine propugnatur.

Ferat ergo legislator opem quia solus id facere potest. Sed quomodo? Num in unoquoque Codice antea definietur certum tempus quo debeat ille retractari? num tota cunctarum legum emendatio post descripta intervalla perficietur? An vero fiet emendatio tum quum necessaria erit? Verum necessitas, Auditores, non certo ante tempore praevideri et praescribi potest. Iustitia ut imperet populo, leges debent servire moribus populi et verae eius saluti et utilitati. Iam vero mores non ut sylvae foliis pronos mutantur in annos, sed mutantur in dies. Simulatque apertum est legem repugnare utilitati, malum iam est exortum, quod igitur, ne vires acquirat eundo, continuo et quasi infanticidio Spartano opprimendum est. Eoque magis, quia, si quando fiet emendatio, non ea paucis diebus absolvetur: quo fieri poterit, ut rei initium faciens legislator legis et iuris aliquam repugnantiam tollat, verum ut finienti alia repugnantia sit apparitura. Ita foret quod poeta Germanus dicit, iurum legumque quasi sempiterni morbi esse hereditatem, et numquam aliquod ius existere quod nobiscum ipsis nascatur. Quae quum ita sint, perpetua tantum partium emendatio et expletio prodesse potest. Iam dudum in aliis regionibus haec sententia invaluit. Convertite oculos in Franciam et Belgium, comparate Codices mercatorios ibi scriptos initio cum praesentibus: mutati sunt ita, ut fere sint novi. Atque utinam aliquando in patria nostra bonum sequamur exemplum! Id quidem urgere et flagitare iam non officium est Iureconsultorum sed omnium omnino civium qui suam sibi patriam curae esse oportere existimant.

Et quid tandem civium voces efficient? Ex praeteritis annis parva spes futuri temporis oritur. Multi fuerunt Regii Ministri, inque iis homines eximia iuris scientia conspicui, qui non putandi sunt ignoravisse, quid a se propter ipsam Codicum conditionem postularetur. Imo fuerunt, qui ita sibi persuaderent, certas legum partes emendandas esse, ut operi manus admoverint. Latae aliquoties ad Ordines sunt rogationes de quibusdam iuris privati institutis vel ordinandis primum vel melius definiendis, velut de exteris mercatorum societatibus, de hypothecis, aliae. Sed singulae aut non sunt perlatae aut ne in deliberationem quidem venerunt. Quo tristi exemplo deterriti sunt Ministri, relanguit illorum industria, iamque ipsa res videtur quiete somnoque sepulta.

Quae quidem consideranti mihi, Auditores, quaerendum esse visum est, an sint in patria nostra viri illi, quibus ab ipso populo electis mandata descriptio legum est, summae ignaviae accusandi; quaerendum esse visum est, an Batavorum progenies ita degeneraverit, ut quum illi Europae leges et foedera dederint, nunc iam prae socordia ius civile administrari et pacta mercatorum ordinari non possint. Non credo, Auditores, verum ut legibus de iure civili et de iure mercatorio multa desunt, ita aliquid deesse credo institutionibus nostris, per quas emendatio ipsa legum facienda est. Regius Minister, innumeris negotiis obrutus, legum emendandarum initium facere non potest. Non certis enim temporibus emendandae sunt leges, sed, id quod demonstravimus, perpetuo et fere quotidie. Foret, si nihil praeterea ei agendum esset, hoc ipsum munus totius hominis, et vix hominis unius. Proponere mutationem necessariam, defendere scriptis, explicare oratione et commendare Ordinibus, nec parvi laboris est nec exigui temporis. Quod ni ita est, cedo causam, cur unum tantum et alterum apud nos legem corrigendarum conamen factum sit. Verum, etiamsi Regius Minister huic rei vacare posset, si satis otii haberet ut legum emendationi animum intenderet, tamen ab illo id nec iure postulari nec humaniter exspectari poterat. Requiritur in illo eloquentia vel certe diserta oratio, qua animos regere possit, requiritur gubernandae reipublicae peritia, sed usus forensis, scientia iuris, consuetudo quotidiana civium, peregrinorum, mercatorum requiruntur in illo, qui leges emendaturus sit. Credite mihi, aliud est reipublicae consulere et magna eius intelligere commoda, aliud parva cognovisse et minutis civium utilitatibus prospicere. Et tamen minutae illae utilitates magnae sunt!

Accedit quod ipsa reipublicae constitutio et Ordinum Generalium potestas, praeclara quamvis et maxime landanda, Ministros impedit, quominus iura bene curent. Praesunt fere apud nos rebus illi, quorum tum maxime partibus favetur: ii legem rogaturi antea computare fere possunt suffragia illorum, qui earundem partium sunt; reliqui saepe adversantur. Nolite arbitrari, Auditores, me nimium dicere. Hoc ipso tempore non in iure privato sed in iure poenali exemplum videmus. Poena capitalis, legibus nostris retenta, plurimorum nostrorum hominum de iure sententiis ita nunc est contraria et repugnans, ut abrogandam esse eam et persuasum

sit bene multis et censeant quoque Regii Ministri. Est haec profecto res, si qua alia, sine ira et studio consideranda et perpendenda. Et tamen si argumenta ponderes, quibus iam de ea disputatur, in hac quoque disputatione apud multos partium studium valere videas. Et quid in aliis rebus futurum est?

Quae quum ita sint — iam enim ad finem properanti mihi multa sunt praetermittenda — dicam aperte quod sentio. Quod apud exteros dudum sapientissimi viri commendaverunt, et apud nos Collega meus et amicus Opzoomerus magnopere suasit, ut id aliquando fiat, necessitas postulat et urget. Iuris condendi et supplendi provincia certo alicui mandetur collegio legibus scribendis et emendandis. Legantur in hoc collegium illi qui et iuris scientia, et usu legum experientiaque forensi optime intelligant, quid et iuris et mutatae identidem commercii vitaeque rationes postulent. Hoc illi legislatori proponant. Quod quomodo facturi sint, et qualem in munere suo fungendo secuturi sint rationem, explorare non huius est loci. Paucissima tantum indicabo. Diligenter hoc, si quando instituetur collegium, attendere debebit ad iurisprudentiam Curiae Supremae et reliquorum iudicum; accurate cognoscere sententias et scripta Iureconsultorum, audire peritos et observare populum, quibus illi legibus opus sit explorare, et eas, adiuncto ad illustrandum commentario, proponere Ordinibus. Praesit collegio Regius Minister, sive Rerum Iudicialium, seu potius ad hoc ipsum creatus Minister singularis, qui, a reliquis negotiis immunis, leges rogatas in Ordinum coetu explicet et defendat. Caetera quidem nunc praetermitto. At hoc unum addam. Emendationes eae, quae ab ipsis Ordinibus proponi solent, in his quidem legibus non admittantur nisi cautione certa et declinatione incuriae et levitatis.

Sic demum ad propositum perveniri poterit. Legum emendatio, quam necessariam esse scimus omnes, tunc demum et effici poterit et esse fructuosa, si mandabitur viris idoneis et peritis, qui nihil agant praeterea, et ita sint nullarum partium, ut propter partium studium eorum opus non repudietur, et quorum labor non pereat, si quando partium mutatur principatus, vel quoties propter qualemcumque causam aliis Ministris moderamen rerum permittitur. Hoc utinam fiat aliquando! Permovere legislatores nec quiescere, priusquam id quod recte volumus fuerimus consecuti,

debemus omnes, quotquot nostra et patriae interesse arbitramur, ut aequis ea legibus temperetur. Perficiat unusquisque nostrum quod potest. Ita demum cum bona spe exitus Codicum emendatio incipi poterit, tollentur e legibus vitia et explicabuntur iura, ut explicantur quotidie vitae necessitates et necessitudines hominum. Ita erit apud nos ius aequum. Ita quem ut Academiam hancce illustret enixe precamur, totam patriam illustrabit, Iustitiae Sol!

Ad alteram iam transeo officii partem, narrationem eorum, quae hoc anno Academiae nostrae evenerunt laeta et tristia. Quorum his illa plura esse grato animo agnoscimus.

Atque illud inprimis mihi laetandum iure esse video, quod Academiae Curatores salvi omnes et incolumes, aut nobis adsunt hodie, aut certe si qui absunt, non absunt propter tristes causas. Quod non Vestra tantum sed nostra quoque et Academiae gratia, cui prudenter et studiose consulere soletis, magnopere gaudemus, Viri Amplissimi! Quodsi enim aetatem pupillarem alma nostra Mater iam dudum excessit, et igitur secundum legem sua ipsa negotia tueri posse videtur, non tamen idcirco provida Vestra cura carere posse putanda est. Atque utinam numquam ea careat! Quum vero boni Curatoris sit rem minoris non adiuvare tantum, verum etiam, si potest, augere, illud vel maxime a Vobis petimus, ut Academiae instrumenta et supellectilem augere pergatis. Quae enim nobis praesto sunt studiorum adiumenta et subsidia eiusmodi sunt, ut de iis quoque valeat, quod de legum nostrarum Codicibus valere dicebam, perpetua et assidua cura augeri et amplificari ea debere. Quod igitur ut Vos efficiatis, Viri Amplissimi, qua estis apud Regem Augustissimum gratia, vehemeter rogamus.

Nec minore, in Vos oculos convertens, afficior gaudio, coniunctissimi Collegae. O me Rectorem felicem, cui extremam muneris partem explenti triste parentandi officium praestandum sit nemini, qui Professorum ordinem animo perlustrans, nullum carum caput desiderem!

In hac mihi laeta cogitatione defixo, omnium prima subit Miquellii nostri imago, quem e morbo gravi et periculoso recreatum, et quasi e

mediis Orci faucibus ereptum, patriae, disciplinis, discipulis redditum esse impense gaudemus. Absenti Collegae gratulari non possum; tota vero mente Academiae gratulor, quae tanto viro reviviscente, ipsa quoque reviviscere videtur. Quam irreparabilem eius obitu iacturam fecisset, enarrare non est meum: Consulem enim nisi a Consule laudari non oportet. Hoc unum delibabo. In Miquellio quum et alia sint admirabilia, tum incomparabile fere in deligenda recte docendi ratione ac via iudicium semper elucet, in eademque aliis commonstranda indefessa voluntas. Sic factum est, ut quem colunt et suspiciunt collegae, eundem summo amore prosequantur discipuli. Quibus ut diu multumque prosit, det precibus nostris Deus!

Qui Miquellium cogitat, Te quoque cogitat, Cl. Mulder, et amicitia fideli et consociatis laudibus illi coniunctum. Omnibus Tu bonis plaudentibus quintum nuper Professionis lustrum peregisti, et ita quidem peregisti, ut qui ad summa nituntur nihil aliud cogitent nisi quomodo possint Tui quam simillimi evadere. Tu, Vir praestantissime, quem Chemiae in patria nostra patrem veneramur et pricipem, ad illud iam dudum pervenisti fastigium, ut nullum habeas, qui doctrinae fama et meritis Tecum in hoc genere contendat. Tibi, quod facimus, omnia fausta apprecantes, pro Academiae quoque salute vota facimus. Te enim duce, non Chemiae solum, in qua regnas, sed generale etiam illud studium florebit, quod nuper eleganter commendavisti.

Eandem quam Muldero, Tibi quoque felicitatem ex animi sententia gratulamur, Cl. Loncq. Eodem fere tempore Tu festum Tibi nobisque diem celebravisti, quo ante hos viginti quinque annos Medicinam publica auctoritate in hacce Academia tradere coepisti. Rarum profecto et singulare, Vir Amicissime, Tibi obtigit Dei beneficium. Tu scilicet, qui prima ab infantia tenui fuisti valetudine, nunc, provectiore iam aetate, non vivis solum, sed ita vivis, ut longam Tibi fore vitam et praesagiant medici et vehementer sperent omnes, quibus laus Medicinae Batavae curae et cordi est. Quibus utinam sua vota contingant! Faxit Deus ut per multos annos Academiam ornare, discipulis, quorum gratam Tibi voluntatem devinxisti, prodesse pergas!

Hoc Tibi quoque apprecamur, Cl. van Oosterzee, qui ante has paucas dierum hebdomades laetum illum diem recognovisti, quo cum Ecclesia Christiana et cum optima Tua Uxore binas iniisti nuptias. Utrique coniugi carus es, utrique diu serveris!

Laeta, quae Professoribus contigerunt, reputanti mihi non silendi sunt novi honores, in Te collati, Cl. Donders, quem Mexicanorum Imperatori Guadelupes Ordinis equitem creare placuit. Felicem Te praedico, quod praeclara Tua merita, mea laude longe maiora, in dies magis ab omnibus, civibus et exteris, subditis et principibus agnoscuntur. Feliciorem vero quod Tua Te virtus nobilitat. Id certo scimus, ingentem Tuam, quam totus terrarum orbis celebrat, doctrinam interituram esse numquam, et ipso Maximiliani imperio mansuram esse stabiliorem.

Est etiam absentis non praetereunda sed celebranda cogitatio Viri, qui, quum iam pridem a nobis discesserit, eam tamen Sui memoriam reliquit, ut eum amore retinuerimus et semper nostrum esse arbitremur. Est ille Iohannes Michaëlis Franciscus Birnbaum, Magno Duci Hassorum Cancellarius et Consiliarius Intimus, qui quondam Academiam Rheno-Traiectinam ornavit, nunc Universitatem Ludovici, quae Giessae est, doctrina sua illustrat. Eximio huic Viro, die vicesimo nono mensis Augusti anni proximi summorum in utroque iure in se collatorum honorum solemne semisaeculare celebranti, Senatus noster scriptis litteris gratulatus est. Respondens nuper Vir Celeberrimus testatus est, tempus illud, quod in Academia nostra transegit, in vitae suae felicissimis partibns a se censeri. Paucis tantum nostrum contigit, ut aut simul cum illo hic munere fungerentur aut praeclara eius institutione fruerentur. Ita tamen illum apud nos versatum esse scimus, ut omnes Tecum consenserimus, Cl. de Geer, qui gratus eius es discipulus, et ornata, ut soles, oratione ei precatus es, ut Summum ei Numen vitam viresque concederet, et longam vegetamque tribueret senectutem in amicorum, discipulorum veraeque doctrinae emolumentum.

Iam quae laeta erant oratione persecutus sum, eaque multa fuerunt. Verumtamen sors nostra humana est, neque igitur fieri potuit quin tristia acciderent. Et sunt mihi tam tristia commemoranda, ut eorum cogitatio animum vehementer commoveat.

Quid Tibi dicam, Cl. Brill, qui amantissima et praestantissima Coniuge orbatus es? Cognovimus nos eam; quibus virtutibus praedita esset, intelleximus; quanta Tu felicitatis Tuae parte et vero quanta Tui parte careas sentimus. Sed Tu, Vir Amicissime, eam quam luges non putas nullam aut nusquam esse. Haec Te cogitatio et liberorum Tuorum amor sustentet et consoletur!

Tuum dolorem, Cl. Vreede, retractando renovare nolim., sed talem, quali Tu orbatus es, filium silere impium foret. Aureis ille moribus quam carus Praeceptoribus fuerit et Commilitonibus, moerore funeris indicatum est. Verum Tu, Vir Optime, nec dolori nec animi perturbationi succumbere soles. Praeclari iuvenis ad tumulum quum staremus afflicti, tum Tua nos vox erexit et confirmavit, pia mente exclamantis: Deus dederat, Deus abstulit, Dei nomini grates agantur. Et discedentes nos illud tumulo elogium deberi existimavimus: Quem Deus diligit adolescens moritur.

Non unus, eheu, ereptus est Vobis, optimi Commilitones, praeclarus Ferdinandus Vreede! Diem supremum obierunt etiam Ianus van Bruggen, Theol. Cand. et Carolus Iohannes Schorer, Iuris Studiosus. Uterque adolescens optimae spei, uterque merito carissimus parentibus, praeceptoribus, amicis, flebilis obiit. Sustententur flentes a Deo, et Vos, Commilitones, et nos omnes, defunctorum simus memores, et bona quae reliquerunt exempla in utilitatem nostram convertamus.

Ad publica redeunti rursus mihi laeta commemoranda sunt. Neque enim facile quisquam omnium, qui litteris disciplinisque faveant, et meritis honorem deberi existiment, non magno gaudio et applausu Senatus nostri decreta cognovit, quibus honoris causa Chirurgiae Doctor creatus est Vir experientissimus Antonius Cornelius van Woerden, et summi in Philosophia Theoretica et Humanioribus Litteris honores collati sunt in Nicolaum

Beets et Iulium Henricum Hisgen, Viros praestantissimos. Quae quidem decreta ita profecto honoris causam continebant, ut Viris illis omnino essent decori, verum non minus ex iis decoris in ipsam Academiam redundaret, quae illos ornando ipsam se ornavisse dicenda est.

Restat ut mihi breviter de supellectile Academiae dicendum esse videatur, eoque brevius quo accuratius de ea dixit Vir Clarissimus, cui in Academia regunda successi. Multa adhuc emendatione egere, multis adhuc multa deesse, et novimus omnes et iam apparuit modo, quum, consentientibus omnibus, Curatores Amplissimos appellarem iisque eam curam commendarem. At aliquid tamen gradatim emendari hic annus ostendit. Bibliotheca et amplior et elegantior facta est. Iam superiore anno inceptum opus nunc ita perfectum est, ut satisfaciat omnibus, utque adeo homines faceti reperiantur, qui aedificium, in quo libri asserventur, locupletius esse dicant quam librorum, qui in eo asserventur, copiam. Verum ignorant illi, etiam in homine corpus celerius crescere et ad quandam pervenire perfectionem quam animum in corpore habitantem. Et nos quidem confidimus Curatoribus, qui quum corpus Bibliothecae iam perfecerint, quis animum ab iis neglectum iri credat?

In Museis, Laboratoriis Chemico et Anatomico, Collectibus Instrumentorum, Horto et Observatorio semper aliquid emendatur, semper aliquid iis additur, cerniturque in eo Batava illa virtus et prudentia: festinatio lenta.

Laboratorium Physiologicum aedificatur, Auditores, et aedificatur sedulo. Ante annum ex hoc loco praedictum est, nummos et commodorum locorum spatia non defutura esse in perpetuum. Expleta iam est illa praedictio. Habebit Dondersius noster aliquando Laboratorium, non tantum ipsius nomine dignum — id quod parum ille curat — verum in quod venientes ad ipsum audiendum ex quibusvis terris peregrini honorifice de Academia nostra iudicare discant.

De Nosocomio incredibilia ad Vos fero at credenda tamen. Non praedixit anno proximo Rector fore Nosocomium, sed pie optavit. At ego praedico nos tandem id habituros esse, non ex augurio sed ex re certa et facto initio. Senatus Urbis nostrae rem nimia diu neglectam fuisse intel-

lexit, et Nosocomium aedificari iussit, quod probaturus sit ipse Aesculapius. Pauca sunt quae opus remorantur. Sed superabuntur ea, et erit ille dies, quo, novum aedificium adspicientes, obruemus oblivione istud stabulum dicam an bovile, quod nunc Nosocomium appellatur.

Videtis igitur, Auditores, etiam in studiorum subsidiis aliquid effectum et profectum esse. Sed, iterum dico, nondum eo pervenimus quo perveniendum est. Quod numquam mihi luculentius apparuit, quam quum nuper Leidensis Academiae Rectorem de illius apparatu et supellectile querentem audirem. Quid tandem — ita mecum ipse reputabam — quid, Tune quereris, nobisque invides Laboratorium Physiologicum, quod nondum habemus? Tu, Rector Academiae, quae si cum nostra comparatur, dives et opulenta appellanda est? Qui aedes habes Academiae, regias dicendas, si conferuntur cum nostra modestia; librorum copiam et praestantiam, quantam vix alia? Tune quereris, quum Academiae Tuae ita faveant Reipublicae principes, ut quum adhuc moris fuisse videretur, ut uni apud vos Professori duo successores darentur, nunc quidam iam receptum esse videatur ut uni succedant tres? Quereris, et fortasse iure. Sed quis erit nostrarum querelarum finis et modus?

At non invidemus Academiae Leidensi, si multa habet: speramus etiam fore ut ei dentur ea, quae praeterea desiderat. Hoc tamen precamur, ut ne nostri aliqua exsistat oblivio, et ne negentur nobis ea, quae aequo iure rogare videmur, et quibus institutio nostra diutius carere non potest.

Sed magna consolatio est, posse etiam multis rebus carentem florere Academiam eam, in qua et doctores et discipuli pro sua utrique parte coniunctis viribus id quod possunt efficere conantur. Et magna equidem, hoc si cogito, afficior laetitia. Testor enim, Commilitones — Vos enim, Vos iam mea compellat oratio — testor, et omnium meorum Collegarum nomine testor, Vos hoc anno officiis Vestris optime esse perfunctos. Gratias Vobis agunt cuncti Professores, quod cum moribus bonis laudabilem coniunxistis in artium disciplinarumque studiis ardorem. Gratias ego Vobis ago, quod comitate Vestra et benevolentia fecistis, ut nulla mihi fuerit Rectionis molestia. Vehementer etiam laetor, eius quae ante fuit apud Vos dua-

rum partium divisionis postrema vestigia ita me Rectore deleta esse et evanuisse, ut etiam odium musicum, quod interdum Theologico odio implacabilius esse videas, extinctum sit, fuerintque iam non auribus tantum nostris verum etiam animis iucundi Vestri concentus et iucunda harmonia. Pergite bene facere, Commilitones; Successori meo Vos tales praestate, quales Vos mihi praestitistis, et maneat Professorum et Studiosorum non concordia tantum, sed amicitia quoque ea, quam nuper adspexerunt *Musae*, quum Praeceptoribus et discipulis *requiescere* una *placeret*.

Dixi mihi Rectoris munus molestiis liberum fuisse. Huius rei Tu quoque magna pars fuisti, Cl. Doedes. Senatus acta quum curares, me etiam fideliter curavisti. Auxilium a te petenti numquam defuisti; imo vero sponte ad me venisti, ut mihi opem ferres. Felicem novum Rectorem praedico, quod habebit actuarium Tui similem!

Superest ut fasces Academiae tradam Successori, ab Augustissimo Rege mihi dato, Henrico Christiano Millies, Viro Clarissimo, quem igitur Academiae Rheno-Traiectinae Rectorem Magnificum dico, renuntio, proclamo.

Accedas, Vir Clarissime, ad sedem Tibi destinatam.

Salve, Rector Magnifice, iterumque salve. In gravissimo munere feliciter gerendo propitius Tibi sit Deus Optimus Maximus. Sic te Rectore floreat Academia Rheno-Traiectina!

ACTA IN SENATU

A. CIↃIↃCCCLXV—CIↃIↃCCCLXVI,

RECTORE MAGNIFICO IACOBO ANTONIO FRUIN,

GRAPHIARIO IACOBO ISAÄCO DOEDES.

Die 28 m. Martii. Rector Magnificus Iacobus Isaäcus Doedes, a Senatu Amplissimo in cathedram ductus, orationem habet *de libertate cum Theologiae, tum etiam Ecclesiae Christianae strenue vindicanda*, et Academiae fata enarrans memoriam quoque celebrat Virorum Clarissimorum Hermanni Bouman et Simonis Karsten, qui anno praecedente vita cesserant. Recitatis deinde a Graphiario Ordinum Iudiciis de commentationibus in certamine literario allatis, Rector Magnificus Regis Augustissimi nomine, victoribus sua praemia tradit:

nummum argenteum Iacobo Cornelio van Slee, Theol. Candid. in Academia Lugduno-Batava,

nummum aureum Gerardo Hugoni van Bolhuis, Iuris in Academia Rheno-Traiectina candidato,

testimonium honorificam exhibens mentionem Nitio Henrico de Savornin Lohman, Iuris in Academia Groningana candidato,

nummum argenteum Thomae Place, Medicinae in Academia Rheno-Traiectina candidato,

testimonium tandem, honorificam mentionem exhibens Ludovico Bleekrode, in Academia Lugduno-Batava Matheseos et Philosophiae Naturalis studioso.

Tandem Magistratum Academicum deponens, datum sibi successorem Iacobum Antonium Fruin, Virum Clarissimum, proclamavit et salutavit Rectorem Magnificum Academiae Rheno-Traiectinae.

E Curatorum decreto declarantur:

Senatus Graphiarius: Vir Clarissimus Iacobus Isaäcus Doedes;

Assessores:

Ex	Ordine	Literatorum	Vir.	Clar.	G. G. Brill.
〃	〃	Theologorum	〃	〃	I. I. van Oosterzee.
〃	〃	Medicorum	〃	〃	G. Koster.
〃	〃	Mathematicorum	〃	〃	G. I. Mulder.

Die 30 m. Maii. Rector tres ad Senatum defert rogationes, ab ordine Literatorum atque Medicorum ad se delatos:

a. ab Ordine Literatorum, ut Viro Doctissimo Nicolao Beets, Traiecti ad Rhenum Euangelii interpreti, et Viro Eruditissimo Iulio Henrico Hisgen, Literarum Germanicarum in hac Academia Lectori, illi ob eximia in literas praesertim Belgicas, huic ob magna in studio Literarum Germanicarum apud studiosam iuventutem promovendo merita, titulus et iura Philosophiae Theoreticae Magistri, Literarum Humaniorum Doctoris, *honoris causa* offerantur;

b. ab Ordine Medicorum, ut in Virum Experientissimum Antonium Cornelium van Woerden, proximo die 3 mensis Iunii Artis Chirurgicae per 40 annos in civitate Traiectina feliciter omniumque peritorum cum applausu factitatae memoriam celebraturum et in eiusdem artis studio practico insigniter meritum, titulus et iura Chirurgiae Doctoris *honoris causa* conferantur.

Cognitis rationibus, quas pro singulorum ordinum rogationibus protulerunt Vir. Clarr. Brill, Opzoomer, Ter Haar, Donders, rogationes illas comprobavit Senatus.

Die 3 m. Iunii. In Senatus Academici conventum identidem deducti sunt Viri Praestantissimi Nicolaus Beets, Iulius Henricus Hisgen, Antonius Cornelius van Woerden, eo consilio, ut promotores, ab Ordinibus Literatorum et Medicorum designati, in illos ex Senatus decreto, summos conferrent honores. Quos honores in

Virum Doctissimum N. Beets contulit Clar. Brill, in Virum Eruditissimum I. H. Hisgen Clar. Rovers, in Virum Experientissimum A. C. van Woerden Clar. Loncq.

Die 20 m. Iunii. Rector cum Senatu communicat epistolam, ab amplissimis Academiae Curatoribus ad Senatum datam, qua significatur, Ianum de Kruyff apparitorem Academicum, honorifice esse rude donatum, eique successorem datum esse Nicolaum Iansen.

Die 26 m. Septembris. Ad Senatum refert Rector, se una cum Graphiario, salutatum atque gratulatum, Senatus nomine, adiisse Viros Clarissimos Gerardum Iohannem Mulder et Gosewinum Ianum Loncq, quorum ille quidem die huius mensis 16, hic vero die 23 memoriam celebravit muneris Academici per quinque lustra quam felicissime et honorificentissime gesti. Utriusque viri nomine pro honore sibi tributo, gratiae Senatui aguntur.

Die 14 m. Februarii. Designantur quatuor Senatores, e quibus a Rege augustissimo Rector in proximum annum eligatur:

Ex	Ordine	Literarum	Vir	Clar.	H. C. Millies.
〃	〃	Medicorum	〃	〃	G. Koster.
〃	〃	Mathematicorum	〃	〃	M. Hoek.
〃	〃	Theologorum	〃	〃	I. I. van Oosterzee.

Designantur deinde quatuor, e quibus in proximum annum eligatur Senatus Graphiarius:

Ex	Ordine	Iureconsultorum	Vir	Clar.	O. van Rees.
〃	〃	Literatorum	〃	〃	G. G. Brill.
〃	〃	Medicorum	〃	〃	G. Koster.
〃	〃	Mathematicorum	〃	〃	F. A. G. Miquel.

Assessores tandem nominantur:

Ex	Ordine	Medicorum	Vir	Clar.	G. I. Loncq.
〃	〃	Mathematicorum	〃	〃	P. Harting.
〃	〃	Theologorum	〃	〃	B. Ter Haar.
〃	〃	Iureconsultorum	〃	〃	B. I. Lintelo de Geer.

SERIES LECTIONUM,

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

INDE AB EXACTIS FERIIS AESTIVIS ANNI CIↃIↃCCCLXV USQUE AD FERIAS AESTIVAS ANNI CIↃIↃCCCLXVI

A PROFESSORIBUS ET LECTORIBUS HABENDARUM,

RECTORE

IACOBO ANTONIO FRUIN.

IN FACULTATE IURIDICA.

Disciplinae Iuris naturalis fata et praecipua placita tradet G. G. VREEDE, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora IX.

Ius Publicum Batavum exponet, dein *Iurisdictionis administrativae*, quae dicitur, caussas selectas tractabit G. G. VREEDE, die Lunae, hora X, die Martis, hora VIII, die Mercurii, hora I.

Ius Gentium Europaeum tradet G. G. VREEDE, diebus Martis et Saturni, hora X.

Ius criminale docebit G. G. VREEDE, diebus Mercurii, Iovis et Veneris, hora VIII.

Codicem Quaestionum criminalium explicabit G. G. VREEDE, die Iovis, hora XI, die Veneris, hora I, die Saturni, hora VIII.

Ius Pandectarum enarrabit B. I. L. DE GEER, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Veneris, hora XI.

Historiam Iuris Romani tradet B. I. L. DE GEER, diebus Lunae et Veneris, hora I, die Iovis, hora X.

Institutiones Iustiniani intrepretabitur B. I. L. DE GEER, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora VIII.

Encyclopaediam Iuris exponet B. I. L. DE GEER, diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora I.

Ius civile Nederlandicum docebit I. A. FRUIN, diebus Mercurii, Iovis, Veneris et Saturni, hora IX.

Ius mercatorium et maritimum exponet I. A. FRUIN, diebus Mercurii, Iovis et Veneris, hora X.

Legem Iudiciorum privatorum explicabit I. A. FRUIN, die Martis, hora IX, die Saturni, hora XII et I.

Exercitiis forensibus praeerit I. A. FRUIN, hora deinde indicanda.

Oeconomiam politicam docebit O. VAN REES, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora XII.

Statisticam explicabit O. VAN REES, diebus Martis et Iovis, hora XII, die Veneris, hora II.

Historiam Europae politicam enarrabit O. VAN REES, die Martis, hora I, die Mercurii, hora II, die Iovis, hora I.

Necessitudinem oeconomico-politicam patriam nostram inter et insulam *Iava* huiusque regiminis formam hodiernam exponet O. VAN REES, diebus Lunae et Saturni, hora II.

Publicis disputandi exercitiis praeesse parati sunt Iuris Professores.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

Logica docebit C. G. OPZOOMER, diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora II, ad librum suum, cui titulus: *het wezen der kennis*, editum Amstelodami a bibliopola I. H. Gebhard, anno 1863.

Metaphysica docebit C. G. OPZOOMER, diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora I.

Historiam Philosophiae veteris explicabit C. G. OPZOOMER, die Lunae, hora II et III aliave commodiore.

Antiquitates Romanas exponet I. A. C. ROVERS, die Martis, hora X et I, die Mercurii, hora X, diebus Iovis et Veneris, hora IX.

Historiam Gentium enarrabit L. A. C. ROVERS, diebus Martis et Mercurii, hora XI, diebus Iovis et Veneris, hora X.

Historiographiam veterem tradet L. A. C. ROVERS, hora auditoribus commoda.

Literas Hebraicas docebit H. C. MILLIES, tum Grammatica explicanda, tum parte I libri Samuelis legenda, die Martis, hora X, die Iovis, hora XI, die Veneris, hora IX.

Literarum Chaldaicarum et Syriacarum initia tradet H. C. MILLIES, diebus Mercurii et Veneris, hora XII.

Antiquitates Israëlitarum explicabit H. C. MILLIES, diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora IX.

Locos selectos Scriptorum Arabicorum, Chaldaeorum et Syriacorum cum provectioribus leget H. C. MILLIES, die Mercurii, hora V.

Rationem Linguae Patriae et Literarum Patriarum tradet G. G. BRILL, die Lunae, hora I, die Martis, hora II, die Saturni, hora XI.

Historiam Patriae enarrabit G. G. BRILL, die Lunae, hora X, die Martis, hora IX, et die Mercurii, hora X.

Lectiones de Literis Graecis habebit H. VAN HERWERDEN, die Lunae, hora XII, die Mercurii, hora II, die Veneris, hora XI, interpretaturus *Aves Aristophaneas* et *Demosthenis Orationes Olynthiacas*, tum, si per tempus licebit, *Oedipum Regem Sophoclis*.

Literas Latinas docebit H. VAN HERWERDEN, die Lunae, hora XI, die Mercurii, hora I, die Iovis, hora XII, legendo *Ciceronis orationem pro Milone, Horatii Satirarum* librum priorem, *Livii* librum XXI.

Antiquitates Graecas tradet *Scholasque Paedagogicas* habebit H. VAN HERWERDEN, horis auditoribus commodis.

IN FACULTATE MEDICA.

Materiem medicam et praecipua *Therapiae generalis* capita exponet G. I. LONCQ, die Lunae, hora II, diebus Mercurii et Veneris, hora IX.

Pathologiam et Therapiam specialem tradet G. I. LONCQ, die Lunae, hora VIII, diebus Martis et Iovis, hora IX.

Exercitationes clinicas in arte medica quotidie moderabitur G. I. LONCQ, hora XI, in Nosocomio Academico.

Physiologiam docebit F. C. DONDERS, diebus Lunae, Mercurii et Iovis, hora X, die Martis, hora IX.

Histologiam exponet F. C. DONDERS, die Martis, hora XI, die iovis, hora IX.

Experimentis et *indagationibus physiologicis* et *microscopicis* in Laboratorio physiologico quotidie praeerit F. C. DONDERS.

Ophthalmologiam docebit et *exercitationes clinicas in ophthalmiatria* moderabitur F. C. DONDERS, diebus Mercurii, Iovis et Veneris, hora II, die Saturni, hora XI.

Medicinam forensem exponet F. C. DONDERS, diebus Lunae et Martis, hora II.

Theoriam artis chirurgicae tradet L. C. VAN GOUDOEVER, diebus Martis, Mercurii et Veneris, hora VIII.

Exercitationes policlinicas in arte chirurgica et *ophthalmiatrica*, diebus Lunae, Mercurii, Veneris et Saturni, hora IX; *clinicas*, diebus Martis, Iovis et Saturni, hora X, moderabitur L. C. VAN GOUDOEVER, in Nosocomio Academico.

Operationibus chirurgicis, in cadavere instituendis, qualibet oblata occasione, praeerit L. C. VAN GOUDOEVER.

Deligandi exercitationes moderabitur L. C. VAN GOUDOEVER, die Saturni, hora VIII.

Artis obstetriciae theoriam exponet L. C. VAN GOUDOEVER, diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora I; morbos puerperarum et neonatorum, die Iovis, hora VIII.

Exercitationibus obstetriciis practicis praeerit L. C. VAN GOUDOEVER, die Lunae, hora XII—II, die Veneris, hora I, et ad parturientium lectulos qualibet oblata occasione.

Anatomen tum *systematicam* tum *topographicam* docebit G. KOSTER, diebus Lunae, Martis et Iovis, hora I, die Mercurii, hora X.

Pathologiam generalem docebit G. KOSTER, die Lunae, hora X, die Veneris, hora X et XI.

Exercitationes anatomicas practicas moderabitur G. KOSTER, quotidie hiberno tempore.

Sectionibus cadaverum praeerit G. KOSTER, qualibet oblata occasione.

Artem diagnosticam physicam tradet P. Q. BRONDGEEST, Medicinae Lector, diebus Mercurii et Veneris, hora VI dimidiata.

Artis diagnosticae propaedeutica exponet P. Q. BRONDGEEST, diebus Mercurii et Veneris, hora I.

IN FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

Physicam experimentalem exponet R. VAN REES, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora I.

Mechanicam analyticam tradet R. VAN REES, diebus Lunae, Martis et Iovis, hora XI.

Chemiam anorganicam docebit G. I. MULDER, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora XII.

Chemiam organicam docebit G. I. MULDER, diebus Iovis et Veneris, hora XII.

Colloquia Chemica habebit G. I. MULDER, die Saturni, hora X—XII.

Zoologiam exponet P. HARTING, diebus Lunae, Mercurii et Iovis, hora XI, die Martis, hora X.

Anatomiam, Physiologiam et Histologiam comparatam tradet P. HARTING, diebus Martis et Iovis, hora II.

Palaeontologiam docebit P. HARTING, hora postea indicanda.

Exercitationibus zootomicis et *microscopicis* quotidie praeerit P. HARTING.

Elementa Matheseos et Algebrae ante ferias hiemales quotidie docebit C. H. D. BUYS BALLOT, hora VIII; post illas, diebus Lunae, Martis et Mercurii, eadem hora.

Elementa Stereometriae et *Trigonometriae Sphaericae* docebit C. H. D. BUYS BALLOT, diebus Lunae, Martis et Veneris, hora X.

Calculum differentialem et integralem exponet C. H. D. BUYS BALLOT, die Martis, hora IX, diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora X.

Astronomiam popularem exponet M. HOEK, die Lunae, hora X, diebus Iovis et Saturni, hora IX.

Astronomiam theoreticam tradet M. HOEK, diebus Martis et Mercurii, hora IX.

Astronomiam practicam tradet M. HOEK, die Veneris, hora XII et I.

Artis observandi exercitiis quotidie praeerit M. HOEK.

Botanicam generalem et *Physiologiam plantarum* docebit F. A. G. MIQUEL, diebus Lunae, Mercurii et Iovis, hora X, die Martis, hora XI.

Plantarum officinalium et *venenatarum historiam* exponet F. A. G. MIQUEL, diebus Lunae et Martis, hora III.

Oeconomiam ruralem docebit F. A. G. MIQUEL, diebus Lunae et Martis, hora dein indicanda.

Geologiam et *Mineralogiae elementa* tradet F. A. G. MIQUEL, diebus Lunae et Mercurii, hora II.

Archipelagi Indici Physiographiam generalem exponere paratus est F. A. G. MIQUEL.

Chemiam practicam quotidie in Laboratorio chemico exponet E. MULDER, Prof. Extraord.

Chemiam Analyticam docebit E. MULDER, die Martis, hora IX.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

Historiam librorum Novi Foederis sive *Introitum in Novum Foedus* tradet B. TER HAAR, die Lunae, hora X, die Iovis, hora XI.

Historiam Ecclesiae Christianae enarrabit B. TER HAAR, diebus Lunae et Martis, hora XI.

Historiam dogmatum exponet B. TER HAAR, die Mercurii, hora XI.

Ethicen Christianam docebit B. TER HAAR, diebus Martis et Mercurii, hora X.

Exercitationes oratorias moderabitur B. TER HAAR, horis et sibi et auditoribus commodis.

Encyclopaediam Theologiae exponet I. I. DOEDES, die Mercurii, hora II.

Doctrinam de Deo (*Theologiam naturalem*), praesertim eam, quae *Historiam Religionis* tractat, partem, exponet I. I. DOEDES, diebus Lunae et Martis, hora IX, Mercurii, hora I.

Locos Novi Foederis selectos, ad *Hermeneuticen librorum N. F.* illustrandam, tractabit I. I. DOEDES, die Mercurii, hora IX.

Exegesin librorum Novi Foederis tradet I. I. DOEDES, interpretando *Iesu parabolas*, diebus Lunae et Martis, hora I.

Colloquia de rebus Theologicis et Ecclesiasticis habebit I. I. DOEDES, horis et sibi et commilitonibus commodis.

Exercitationes catecheticas moderabitur I. I. DOEDES, die Veneris, hora III.

Theologiam biblicam Novi Foederis exponere perget I. I. VAN OOSTERZEE, die Martis, hora XII.

Theologiae Dogmaticae partem *formalem* docebit I. I. VAN OOSTERZEE, diebus Mercurii, Iovis et Veneris, hora IX.

Theologiam Practicam, inprimis *Homileticam* tradet I. I. VAN OOSTERZEE, diebus Iovis et Veneris, hora X.

Exercitationes homileticas cum provectioribus instituet I. I. VAN OOSTERZEE, die Mercurii, hora XII.

Exegesin Veteris Foederis tradet H. C. MILLIES, interpretandis *Prophetae Iesaiae* vaticiniis, die Iovis, hora XII, die Veneris, hora XI.

Isagogen in libros sacros Veteris Foederis exponet H. C. MILLIES, diebus Lunae et Saturni, hora XII.

Commilitonibus, orationes sacras habentibus, praesides aderunt, atque publicis disputandi exercitationibus praeesse parati sunt Theologiae Professores.

I. H. HISGEN, Literarum Germanicarum Lector, diebus et horis postea iudicandis, e *Literis Germanicis* tum Goethii tragoediam, quae *Faust* inscribitur, tum etiam aliorum scriptorum selecta carmina interpretabitur; *Literarum Germanicarum historiam* inprimis inde a saeculo XVIII exponet.

I. VENNING, Literarum Anglicarum Lector, *Literas Anglicas* docebit, hora auditoribus commoda.

M. A. E. ROBERTI, Literarum Francicarum Lector, *praecipuorum scriptorum saeculi XVII selecta opera* enarrabit, et *Literarum Francicarum historiam* saeculorum XVII et XVIII tractabit, diebus et horis auditoribus commodis.

Bibliotheca Academica diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis, Veneris et Saturni, ab hora XI ad IV, feriarum autem tempore iisdem diebus, ab hora I ad III, unicuique patebit. Museum zoologicum et mineralogicum quotidie patebit.

NUMERUS STUDIOSORUM

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA,

DIE XXXI M. DECEMBRIS A. CIOIOCCCLXV.

In Facultate		Iuridica	184.
〃	〃	Phil. Theor. et Litt. Hum. .	10.
〃	〃	Medica	59.
〃	〃	Math. et Phil. Nat.	52.
〃	〃	Theologica	172.
			477.

Praeterea in Album Academicum nomina Studiosorum in Athenaeis studiis operam vacantium, relata sunt, eo tantum consilio, ut hic publice progressus probent et Doctores creentur, quorum

In Facultate		Iuridica	13.
〃	〃	Phil. Theor. et Litt. Hum. . .	1.
〃	〃	Medica	1.
〃	〃	Math. et Phil. Nat.	1.
〃	〃	Theologica	15.
			31.

DOCTORES CREATI

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA,

A DIE XXVI M. MARTII A. CIƆIƆCCCLXV AD D. XVI M. MARTII A. CIƆIƆCCCLXVI.

IN FACULTATE IURIDICA.

D. 28 Aprillis. DIDERICUS GREGORIUS VAN TEYLINGEN, Medioburgensis, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 3 Maii. IOHANNES IACOBUS LEUVELING TJEENK, Amstelodamensis, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 1 Iunii. EDUARDUS ZENO LUDOVICUS VAN DER KEMP, Mosa-Traiectinus, publice defenso specimine, cui titulus: *De leer der exceptiën, volgens het Romeinsch en Hedendaagsch Regt*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 9 Iunii. GUILIELMUS HENRICUS YSSEL DE SCHEPPER, ex pago Olst, privatim defenso specimine, cui titulus: *Over het huwelijk door een gevolmagtigde, volgens het Burgerlijk Wetboek*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 12 Iunii. IACOBUS VOSMAER, e pago Zeist, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 16 Iunii. IACOBUS HENRICUS LUDOVICUS VAN OVEN, Haganus, privatim defenso specimine, cui titulus: *Beschouwing naar aanleidieg van Art.* 91, *aliena* 4 *van de Grondwet*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 23 Iunii. ROLANDUS VAN DE WERK, ex pago Zevenbergen, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 28 Iunii. Claudius augustus crommelin, Amstelodamensis, publice defenso specimine, cui titulus: *Beschouwingen over de grondbelasting*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

Eodem die. Paulus adrianus tukker, Culemburgensis, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 30 Iunii. Isaacus verwey, Snecanus, publice defenso specimine, cui titulus: *Eenige opmerkingen over de taak van den Advokaat, voornamelijk ambtshalve in strafzaken*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

Eodem die. Guilielmus carolus tack, Drusiburgensis, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 1 Iulii. Henricus iohannes iacobus byleveld, Medioburgensis, privatim defenso specimine, cui titulus: *Iets over de geschillen met Frankrijk, betrekkelijk Vlissingen, sedert* 1795, *tot op den afstand dier vesting in* 1807, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 13 Octobris. Gerardus iohannes daniel hondius, ex pago Vreeland, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 24 Octobris. Gerardus hugo van bolhuis, Bredanus, privatim defensis specimine, cui titulus: *De eigendomsverkrijging door den commissionair*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 25 Octobris. Iohannes elisa van persijn, ex pago Barneveld, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 27 Octobris. Guilielmus gerardus loeff, Silva-Ducensis, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 1 Novembris. Didericus arnoldus montijn, Rheno-Traiectinus, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 15 Novembris. Georgius iustinus kolff, e pago Deil, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 22 Novembris. Abrahamus polak, Amstelodamensis, publice defenso specimine, cui titulus: *Historisch-Juridisch onderzoek naar den aard van het cognossement*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 24 Novembris. Petrus Wijbrandus prins, e pago Ermelo, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 29 Novembris. GERARDUS SIX, e pago Roosendaal, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 22 Decembris. PETRUS ROETERT TAK, Medioburgensis, privatim defenso specimine: cui titulus: *De wissels van Art.* 101, *Wetb. van Koophandel*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 25 Ianuarii. MAURITIUS VAN LIER, Rheno-Traiectinus, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 9 Februarii. IANUS ISAACUS VAN DOORNINCK, Daventriensis, publice defenso specimine, cui titulus: *De staatkunde der Nederlandsche Republiek van* 1697 *tot* 1795, *in betrekking tot het evenwigt van Europa*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

Eodem die. ALEXANDER HINLOPEN, Harlemensis, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 28 Februarii. IANUS FREDERICUS KRÄMER, Djokjokarta-Iavanus, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 21 Martii. AART DE KONING KNIJFF, ex pago Rietveld, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

D, 27 Aprilis. HENRICUS GUILIELMUS ANTONIUS BAKHOVEN, Rheno-Traiectinus, privatim defenso specimine, cui titulus: *Quaestiones Sophocleae, praecipue spectantes fati notionem in huius poëtae tragoediis expressam*, Phil. Theor. Magister, Lit. Hum. Doctor, *cum laude.*

D. 26 Iunii. PETRUS IACOBUS COSYN, e pago Rijswijk, privatim defensa dissertatione, quae continet: *Annotatiunculas ad Aristophanis Ranas*, Phil. Theor. Magister, Lit. Hum. Doctor, *cum laude.*

D. 18 Novembris. IANUS WILHELMUS DE GROOT, Rheno-Traiectinus, privatim defenso specimine: *de Severo Alexandro Romanorum Imperatore*, Phil. Theor. Magister, Lit. Hum. Doctor, *cum laude.*

D. 17 Martii. ADAMUS HENRICUS RAABE, Neomagensis, privatim defenso specimine: *De poetica Platonicae philosophiae natura, praesertim in Amoris expositione conspicua*, Phil. Theor. Magister, Lit. Hum. Doctor, *cum laude.*

IN FACULTATE MEDICA.

D. 8 Aprilis. GERARDUS HEYNIS, e pago Boskoop, Medicinae Doctor, defensis quaestionibus argumenti Obstetricii, Artis Obstetriciae Doctor, *cum laude.*

D. 29 Aprilis. GUILIELMUS FREDERICUS VOS, e pago Breukelen, Medicinae Doctor, privatim defensis thesibus, Artis Obstetriciae Doctor.

D. 3 Maii. CHRISTIANUS VAN WICHEREN, Leovardiensis, publice defenso specimine, cui titulus: *Over slokdarmkanker*, Medicinae Doctor, *magna cum laude.*

D. 18 Maii. CAROLUS SNELLEN, e pago Zeist, privatim defenso specimine, cui titulus: *Over abnormale ontwikkeling van het systema uro-genitale en van het intestinum rectum*, Medicinae Doctor.

D. 13 Iunii. GUILIELMUS VAN DER LEE, e pago Baambrugge, publice defenso specimine, cui titulus: *Het Haematogeen ontstaan van Icterus, historisch-kritisch beschouwd*, Medicinae Doctor, *cum laude.*

Eodem die. HENRICUS BROM, Rheno-Traiectinus, privatim defenso specimine, cui titulus: *Over de blaassteenen bij de vrouw en hunne verwijdering*, Medicinae Doctor, *cum laude.*

D. 28 Iunii. IOHANNES IACOBUS MAATS, Schagerbrugensis, privatim defenso specimine, cui titulus: *De sympathische aandoeningen van het oog*, Medicinae Doctor, *cum laude.*

D. 30 Iunii. CAROLUS FERDINANDUS GUSTAVUS VAN WOERDEN, Rheno-Traiectinus, privatim defenso specimine, cui titulus: *Over gecombineerde nieuwvorming van kraakbeen en beenweefsel*, Medicinae Doctor.

Eodem die. CORNELIUS MAATS, Schagerbrugensis, Medicinae Doctor, privatim defensis thesibus, Chirurgiae Doctor, *cum laude.*

D. 1 Iulii. PETRUS ADRIANUS VAN DER LAAN, e pago Spanbroek, privatim defenso specimine, cui titulus: *Over gezigtsstoornis bij Albuminurie*, Medicinae Doctor, *cum laude.*

Eodem die. IANUS GUILIELMUS VERSCHOOR, Gusanus, privatim defenso specimine, cui titulus: *Optometers en Optometrie*, Medicinae Doctor.

D. 1 Iunii. Iohannes iacobus de jaager, e pago Ouddorp, privatim defenso specimine, cui titulus: *De physiologische tijd bij psychische processen*, Medicinae Doctor.

D. 7 Octobris. Iohannes antonius visscher, Haganus, privatim defenso specimine, cui titulus: *Iets over aandoeningen der prostata*, Medicinae Doctor.

D. 21 Octobris. Paulus quirinus brondgeest, Haganus, Medicinae Doctor, privatim defensis thesibus argumenti Chirurgici, Chirurgiae Doctor, *magna cum laude*.

D. 27 Octobris. Guilielmus van der lee, Medicinae Doctor, e pago Baambrugge, privatim defensis thesibus, Artis Obstetriciae Doctor, *cum laude*.

D. 25 Novembris. Adolphus wijnandus antonius ellerbeek, Medicinae Doctor, Eibergensis, privatim defensis thesibus, Artis Obstetriciae Doctor, *cum laude*.

D. 15 Decembris. Petrus adrianus van der laan, Medicinae Doctor, e pago Spanbroek, privatim defensis thesibus, Artis Obstetricii Doctor, *cum laude*.

D. 20 Decembris. Iohannes iacobus maats, Medicinae Doctor, e pago Schagersbrug, privatim defensis thesibus, Artis Obstetriciae Doctor, *cum laude*.

D. 31 Ianuarii. Conradus wolterus gratama, ex urbe Assen, publice defenso specimine, cui titulus: *Onderzoekingen over Tinea favosa*, Medicinae Doctor, *magna cum laude*.

D. 13 Februarii. Carolus snellen, Medicinae Doctor, e pago Zeist, privatim defensis thesibus, Artis Obstetriciae Doctor, *cum laude*.

D. 2 Martii. Christianus carolus hoffmann, e pago Heemstede, publice defenso specimine: cui titulus: *Onderzoekingen over den anatomischen bouw der membrana olfactoria*, Medicinae Doctor, *cum laude*.

D. 6 Martii. Iulius munsch, Medicinae Doctor, ex urbe Anholt, privatim defensis thesibus, Artis Obstetricii Doctor, *magna cum laude*.

D. 22 Martii. Haroldus holm, ex urbe Christiansfeld, privatim defenso specimine, cui titulus: *Over het gebruik der Hypophosphiten bij tuberculose der longen*, Medicinae Doctor, *cum laude*.

IN FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

D. 10 Novembris. ADOLPHUS LUDOVICUS BOECK, Gertrudisbergensis, privatim defenso specimine, cui titulus: *De theorie van den electrischen condensator*, Matheseos Magister, Philosophiae Naturalis Doctor, *magna cum laude.*

D. 5 Ianuarii. CONRADUS WOLTERUS GRATAMA, ex urbe Assen, privatim defenso specimine, cui titulus: *Geschiedkundig onderzoek naar de kennis der zwavelmetalen*, Matheseos Magister, Philosophiae Naturalis Doctor, *cum laude.*

D. 10 Ianuarii. SAMUEL REGNERUS IOHANNES VAN SCHEVICHAVEN, Theologiae Doctor, e pago Heumen, privatim defenso specimine, cui titulus: *De veranderlijkheid van het vries- en kookpunt der vochten*, Matheseos Magister, Philosophiae Naturalis Doctor, *cum laude.*

IN FACULTATE THEOLOGICA.

D. 8 Iunii. AUGUSTUS CHRISTIANUS IOSEPHUS VAN MAASDIJK, Lovaniensis, publice defenso specimine, cui titulus: *De oorzaken van den ondergang der Kerkhervorming in België*, Theologiae Doctor, *magna cum laude.*

D. 1 Iulii. THEODORUS CAROLUS LEO WIJNMALEN, Malango-Javanus, publice defenso specimine, cui titulus: *Pascal als bestrijder der Jesuiten en verdediger des Christendoms*, Theologiae Doctor, *magna cum laude.*

Praeterea d. 3 m. Iunii honoris causa Doctores creati sunt tres viri quorum nomina supra in Actis Senatus (d. 30 m. Maii et 3 m. Iunii 1865) commemorata sunt.

ACADEMIA

GRONINGANA.

18*

NOMINA PROFESSORUM,

QUI

INDE A D. XII OCTOBRIS CIƆIƆCCCLXV AD D. XI OCTOBRIS CIƆIƆCCCLXVI

IN ACADEMIA GRONINGANA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

FRANCISCUS ZACHARIAS ERMERINS.

SENATUS ACADEMICI ACTUARIUS

ISAACUS VAN DEEN.

IN FACULTATE MEDICA.

I. BAART DE LA FAILLE (rude donatus).
F. Z. ERMERINS.
I. H. IANSEN.
I. VAN DEEN.
S. S. ROSENSTEIN (munus auspicatus d. 20 Ian. 1866).
T. HALBERTSMA (munus auspicatus d. 28 Iunii 1866).

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

H. C. VAN HALL.
I. G. ERMERINS.
N. MULDER.
G. A. ENSCHEDÉ.
P. I. VAN KERCKHOFF.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

P. HOFSTEDE DE GROOT.
L. G. PAREAU.
G. MUURLING.
E. I. DIEST LORGION.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

I. I. P. VALETON.
G. HECKER.
C. M. FRANCKEN.
B. H. C. K. VAN DER WIJCK.
H. E. MOLTZER.

IN FACULTATE IURIDICA.

I. H. PHILIPSE.
B. I. GRATAMA.
G. DIEPHUIS.
B. D. H. TELLEGEN.

ORATIO

DE

VETERE MEDICINA GRAECA ANTE AETATEM ALEXANDRINAM,

QUAM HABUIT

FRANCISCUS ZACHARIAS ERMERINS

QUUM

DIE XI OCTOBRIS CIƆIƆCCCLXVI

IN ACADEMIA GRONINGANA

MAGISTRATUM ANNUUM DEPONEBAT.

ACADEMIAE GRONINGANAE CURATORES, PROFESSORES, CIVES, VIRI AMPLISSIMI, CLARISSIMI, COMMILITONES EXOPTATISSIMI! QUICUMQUE MUNERUM DIGNITATE, VEL ERUDITIONIS LAUDE INSIGNES, HIC ADESTIS, AUDITORES HUMANISSIMI!

Cultiori cuique notus est Platonis in opere de re publica locus, ubi *τοὺς ἀπαιδεύτους*, artium et disciplinarum expertes, comparat cum hominibus in amplo antro sedentibus, nec quidquam conspicientibus nisi umbras personarum ac rerum a tergo versantium, neque aliud quid audientibus quam sonos earundem vocis repercussos parietibus antri, in quo vinculis detenti retro respicere nequeunt, ita ut solum personarum ac rerum umbras oculis, — et auribus solum echo vocis personarum illarum percipiant, quam ab umbris illis proficisci putant. — Hanc philosophi comparationem iam ad amussim exigere nolo, eoque minus, quia *ἄτοπον* aliquid ei inesse ipse Plato sentire videtur. Caput autem rei est illa antithesis inter *τὰ ὄντα* et *τὰ δοκοῦντα*, inter res, quae vere sint, et eas, quae esse videantur, quam passim apud elegantem scriptorem legimus et qua ex quo tempore iuvenis viri opera cognoscere coepi ita sum delectatus, ut postea e memoria numquam excideret. Nec tamen diffiteor aetate provectiori mihi metum quemdam esse obortum, ne quod de incultis ac rudibus innuit Plato, de eruditis pari iure affirmari possit et ne nullus sit mortalium, qui vere praedicet non passim se nubem, ut aiunt, pro Iunone amplecti. Ad quam opinionem mihi confirmandam plurimum, ni fallor, valuit antiquorum de arte, quam profiteor, librorum lectio et cum recentissimi temporis medicorum operibus comparatio. Nimirum quando fata artis et doctrinae medicae per saeculorum decursum nobis repraesentamus, videmus in Graecia principia exstitisse eorum, quae sensim magis magisque exculta sunt, et ab antiquo aevo inde ad nostra tempora usque alia aliaque aetate opiniones

diversas, non raro inter se contrarias, esse prolatas, dein oppugnatas, tandem abiectas. Animadvertimus plerosque tempore, quo vixerint, opiniones, quibus addicti essent, tanquam firmum quid et inconcussum protulisse, posteros vero ista *ὄντα* illis visa ad *τὰ δοκοῦντα* repulisse, vel etiam meros errores esse ostendisse, quae decessoribus omni dubio maiora visa erant. — Quodsi tamen existimetis, A. A.! historiae medicinae studium eo me redegisse, ut firmi nihil arti et doctrinae medicae inesse opiner, ut omnia fluxa et instabilia esse arbitrer, quae in ea doceantur, iniquum de me feretis iudicium. Equidem duo esse sentio, quae probe distinguere oporteat: sunt autem res ipsae et ipsa phaenomena, et ab altera parte rerum et phaenomenorum contemplatio, quae ad horum praecipue intelligentiam viam sternat; itaque rerum et factorum observatio et excogitata de observatis theoremata. Et quin in medicina quod attinet ad rerum et factorum observationem insignes progressus sint facti, nullus ego dubito; sed in plurimorum phaenomenorum interpretatione partim plane coecutimus, partim miseré sane etiamnunc hallucinamur. Prudentiorem neminem quod dixi esse negaturum confido. Verum si haud plane falsum id est, aliud quid legitimo ratiocinio inde deduxeris, quod alio spectat. Scilicet non semper iure in omnibus nostri aevi eruditi nostra haec tempora tantis extollunt encomiis, quasi aetas nostra iam omnia in promptu haberet, quae olim frustra quaesita sint, quasi veritas horum solum, quae vivimus, sit temporum, — contra repudianda sint omnia, quae decessores viderint, cogitaverint, scripserint. Imo vero aetatem nostram de se iudicium vix ferre posse contendo; — iudicium illud posteris competet et multum vereor ne futurum sit, ut qui nostram aetatem demum omnia scire opinentur a nepotibus lepide rideantur. Hunc ego eventum praevideo, nisi forte homines circumspectius de seque aliisque iudicare discant; quod num sperare liceat, paene dubitaveris. Mutatis enim temporibus mutato forsitan nomine eadem agitur fabula: alius prudentior est, alius imprudentior, alius alio maioribus, minoribus praeditus est facultatibus, alius erga alios aequior, alius iniquior, et alienas laudes et virtutes detrectare res est, quae ut unquam evanescat non iniuria metuas. At si quid sit, quod efficere possit ut malum hoc recidatur et minus late serpat, erit sane historiae artium et disciplinarum studium, quo saltem eo ducimur, ut

veritatem neque unius temporis, nec loci unius esse perspiciamus, ut medicinam, quam nunc maxime specto, diversis temporibus diverso modo cultam sensim sensimque increvisse discamus lentamque in ea esse ad veritatem progressionem, adeo ut iure a sapientioribus temporis filia dicta sit et habita. Quod si teneamus, praestantem neminem nec laude sua defraudabimus, nec supra modnm extollemus, sive nobiscum vivat, sive ante multa saecula vixerit, sed artificem et eruditum quemlibet debito aestimabimus pretio, neque a quoquam postulabimus, nisi quod pro tempore, quo vixerit, praestare potuerit, cuiuscumque tandem sive gentis, sive regionis, aut sit, aut olim fuerit. Haec quidem praemonenda videbantur antequam de quo argumento festo hoc die aliquid in medium sim prolaturus vobis significarem. Sensistis iam ex historia artis, quam profiteor, materiem me esse sumpturum. Suspicamini, — neque enim prorsus vobis sum incognitus, — ex aevo antiquo me orationis argumentum esse petiturum. Imo vere vaticinati estis; dicam *de vetere medicina Graeca ante aetatem Alexandrinam*, ita ut praesertim respondeam quaestioni, qui fuerint, qui antiquitus de rebus medicis egerint et quo modo in hac causa sint versati.

Pervenio iam ad illum orationis legitime distributae locum, quo qui publice verba faciat, auditorum benevolentiam imploret. Sunt nonnulli adeo sibi diffidentes, ut plus fiduciae se ponere dicant in auditorum voluntate quam in suis sive facultatibus, sive viribus. Ego, A. A.! aperte dicam maximam fiduciam nunc a me poni in iis, quae meditatus sum, anteqnam ad vos accederem. Partem tamen fiduciae in vobis quoque esse positam profiteor. Quippe per orationum rectoralium viginti duarum seriem numquam vos benevolas aures denegare memini illi, qui munere academico iamiam defuncturus vos appellet. Itaque vos solito vestro more mihi brevi rectorali futuro ore animisque favete!

Fons nisi unicus, certe uberrimus, unde medicinae Graecae initia cognoscere detur, sunt illa scripta, quae vulgo Hippocratis opera audiunt; satis nota res est, ea non esse unius viri, sed diversorum, qui diversis vixerunt temporibus. At saltem medicorum scripta esse fere putantur; et tamen qui ita existimant magnopere falluntur; nam haud parva pars non medicis debetur, sed sophistis. De quibus primum aliquid dicam, non

quia ab illis artis originem repetendam censeo, sed ut statim a medicis seiungam eos, qui nec medici fuerunt, neque artem promoverunt, sed de rebus tamen medicis èt suo tempore disseruerunt, èt libros scriptos reliquerunt. At ne iniuria sophistas a medicis separandos arbitrari videar, — ne his temporibus demum excogitatam differentiam inter eos, qui antiquitus de medicina scripserunt, sed quam antiquitas ipsa ignoraverit, sumere existimer, ecce! vere sophista dicendus auctor anonymus: „at vero, inquit, medici quidam et sophistae fieri non posse dicunt, ut quis artem medicam cognoscat, nisi noverit, quid sit homo, sed oportere id cognoscere eum, qui recte hominem sit curaturus." Videtis ipsos veteres de sophistis et medicis loqui, qui de arte medica egerint. Quales igitur hi sophistae se praebuerunt? Hi partim opera medicorum legendo, partim cum medicis sermones miscendo aliquam sibi rerum medicarum notitiam comparaverant, ab arte tamen facienda manus abstinuerunt. Suam autem qualemcumque scientiam ostendebant tum sermones longiores, — *λόγους* dixerunt veteres, — habendo de argumento aliquo medico, tum dialecticis de medicina disquisitionibus. Ac disputationum huius generis exempla in sylloge medicorum veterum relicta nulla habemus, paradigmata vero non inepte peti opinor e Socratis, aliorum apud Xenophontem, Platonem dialogis. Non autem analogia solum me ad eam sententiam de dialecticis sophistarum de medicina disputationibus esse perductum ostendere liceat paucis e primo libro de morbis verbis, ubi auctor: „qui de morborum, inquit, curatione tum scite interrogare, tum ad quaestiones respondere volet et commode obiecta refutare, haec secum reputare convenit." Quaenam ista sint, quae reputare oporteat, mitto, sed alterum eiusdem sophistae locum proferre lubet, unde quorsum illa disputatio scilicet de curatione morborum tenderit discimus. Tum alia in disceptando tenenda esse dicit, tum „in quo quis dicendo, vel interrogando, vel respondendo peccaverit, — et si quae multa sunt, pauca esse dicat, vel quae magna sunt, parva, vel quae fieri non possunt, fieri posse affirmet, vel in quacumque alia re dicendo peccaverit, id observare oportet et statim contraria oratione insectari." — Eo igitur redibat illnd *ἐρωτᾶν* et *ἀποκρίνεσθαι*, — illud *ἀντιλέγειν* sophistarum, quorum omnium summa erat vana quaedam doctrinae ostentatio et inanis de rebus cognitis pariter et incognitis disceptatio, sterilis, nullum arti ipsi

fructum adferens. His sane hominibus iure obieceris, morbos non ἀντιλογίαις sed remediis curari.

At meministis me dicere etiam longiores sermones habuisse et tractatus ampliores composuisse sophistas illos. Horum quidem exempla plurima occurrunt in libris editis. Ineptus sim, si eiusmodi opusculorum et operum maiorum brevem conspectum nunc vobis offeram. Argumenta aliquot talium sive λόγων, sive operum indicabo. Alius sophista affirmat artem medicam esse τεχνέων μὲν πασέων ἐπιφανεστάτην, omnium scilicet artium nobilissimam. Docet quae dotes inesse debeant illi, qui ἐπιφανεστάτην illam artem discat et quid forinsecus propriis illis dotibus accedere debeat. Non est sane hoc, inquit aliquis, inutile, neque ineptum, quare contemnis? Scilicet bonus sophista, ne de orationis eius ampullis loquar, non videt quod requirit, ut artem medicam quis rite doceatur, de quavis alia arte affirmari posse; nec quidquam se monere, quod medicinae studioso proprium esse debeat. Idem alio loco medicinam ex arte culinariâ originem duxisse docet, quae ipsa exornata sit ut noxas e betis, favis, pisis crudis, quibus vescerentur olim homines, praeciderent. Alius sophista praeclarum iactat inventum suum, quod signa detexerit, quibus morbi, qui ex intemperantia tum in cibis, tum in laboribus nasci soleant, priusquam orti sint cognoscantur et modos, quibus futuri praevertantur. Ubi Hippocrates brevibus verbis significavit epilepsiam immerito divinitus immissum morbum dici, alius sophista integrum scribit tractatum et unum alterumque divini senis locum arripit, quibus superstruit demonstrationem rei, quae dudum apte subindicata demonstratione longa non indiget. Alius omnes morbos ex flatu, ex aëre tum interno, tum externo gigni scribit, alius ex bile et pituita in corpore praesentibus, et e laboribus, vulneribus, et calido et frigido et sicco atque humido modum excedentibus. — Verum hic subsisto, nec plura profero, ut demonstrem a vanis his hominibus nihil profectum esse, quod ad artem sive condendam, sive amplificandam faciat. Nec vero quidquam, quod in medicinam futurorum saeculorum vim habuerit, a sophistis his relictum est, ita ut iure dixisse mihi videar, me eos tantum commemorare, ut hoc genus hominum a medicis Graecis seiungam, quamquam ipsi medicis se immiscere voluerunt, quod ex iis, quae principio monui, ultro constat.

Itaque pergimus ad medicos Graecos antiquos, qui re ipsa artem exercuerunt, quorum illo tempore maxime celebratae fuerunt scholae duae, Cnidia et Coa. Utra antiquior fuerit, ignotum est, sed licet Hippocrates, qui insigne decus Asclepiadarum Coorum fuit, vetustissimos, qui in medicorum illorum sylloge habentur, libros nobis reliquerit, ipse tamen memorat sententias Cnidias, quae scriptae sint priusquam ille opus suum de victus ratione in morbis acutis componeret. Quin ἐπιδιασκευάσεως sententiarum illarum mentionem facit, adeo ut saltem certa vestigia appareant operis e schola Cnidia oriundi tempore, uti videtur, antiquiore quam Hipprocratis. Galeni aevo sententiae illae Cnidiae nondum perierant. Pergamenus pauca et parva earum fragmenta in suis operibus nobis servavit, de quibus aliquid dicam, ut ostendam quam certis indiciis in sylloge Hippocratica Cnidiorum libros agnoscere detur. Unum e fragmentis a Galeno servatis legitur in libro Hippocrati adscripto, unde suspicio nascitur librum eiusmodi non Coae, sed Cnidiae esse originis. Sunt autem alia computanda, quae suspicionem illam ita confirmant, ut ad certae cognitionis gradum evehatur. Ipse enim Hippocrates loco aliquo adversatur Cnidiis et ipsis eorum verbis citat formulam, quae in sententiis Cnidiis occurrat. Eandem autem illam formulam deprehendimus tum in aliis scriptis sylloges Hippocraticae, tum in libro illo, in quo fragmentum illud e sententiis Cnidiis legi diximus. Quin accedunt plura indicia alia. Eo, quem indicavi loco, Hippocrates vitio vertit Cnidiis, eos, ut brevi dicam, insto subtilius morbos distinguere voluisse, ita ut in graves errores inciderent, de qua re item Galenus loquitur. At quod iam maioris momenti est, in ipsis illis libris, in quibus formula illa a magno medico Coo notata occurrit, multiplicem illam divisionem morborum, quam ille perstrinxit, conspicimus. Verum praeterea aliunde etiam quaestioni, qui libri Cnidiorum sint, lux affulget. Novimus Euryphontem scholae Cnidiae fuisse antistitem, quemadmodum Coae Hippocratem. Iam vero Soranus, de seriore schola methodica medicus, qui de aliis rebus et de morbis mulierum partusque negotio scripsit, carpit Euryphontem propter modum, quo uteri vitium quoddam restituere doceat. Eundem autem locum legimus in libro de morbis mulierum olim Hippocrati adscripto et in quo item passim formula illa a magno Coo notata occurrit. — Sed sufficiant haec de librorum utriusque

scholae differentiae notis. Quin vereor ne hac de re longus fuisse vobis visus sim. Hoc autem ostendere erat propositum, non pro lubitu, non levibus de causis eum, qui veterum opera legere didicerit, longe maximam partem librorum Hippocrati tributorum falso illi tribui contendere; eam vero rem demonstrari indiciis tam evidentibus, ut dubitare nemo possit, nisi qui in plena luce occecutiat. De una autem re, quae in scriptis Cnidiis apparet, praeterea monere est operae pretium, quia coniuncta est cum omni eruditionis istorum et sophistarum ratione. Meministis me paulo ante narrare Hippocratem vidisse *ἐπιδιασκεύασιν* sententiarum Cnidiarum. Non longe a vero aberravero, si dixero, *ἐπιδιασκεύασιν* eiusmodi id referre, quod nos appellamus editionem auctiorem et emendatiorem. Iam vero e schola Cnidia libri plerique superstites sunt fere antiquiorum scriptorum *ἐπιδιασκευάσεις*. Praesertim autem sophistae fuerunt, qui practicorum Cnidiorum veterum partim observationibus, partim monitis practicis philosophemata quaedam adderent, ita ut illis accedat elementum dogmaticum, de quo Cnidii antiqui ne somnio quidem cogitaverunt.

De ipsa vero Cnidiorum arte iam videamus. Chirurgiam eos coluisse unusquisque intelligit; sed quid hac in re illis proprium fuerit, difficile dictu est propter monumentorum penuriam. In arte obstetricia tam rudes commendarunt methodos, ut ipsa antiquitas eas damnaret et nunc de iis loqui nolim. Sat multos uteri morbos distinxerunt, in quorum descriptionibus eandem agnoscimus methodum nosologicam, quam in ceterorum morborum descriptione sunt secuti et cuius rationem breviter exponere conabor.

Cnidii morbos observarunt quidem diligenter, sed parum sollerter eorum signa inter se expenderunt. Certos igitur eorum quidem sive typos, sive species appellare velis, sibi construxerunt, sed quae cum rerum natura non plane congruerent, quia morbos parum recte intelligebant. Itaque factum est ut a signis fortuitis, nec satis constantibus discriminis notas petentes male morborum species distinguerent. Unde natae sunt delineationes valetudinis generum, quas saepe non intelligimus. Nosologia quaedam erronea ex vitiosa illa observandi methodo exstitit, cuius et originem et rationem omnem èt rite perspexit, èt iure perstrinxit Hippocrates.

Quod attinet ad therapeiam, tria fuisse videntur, in quibus maxime

peccaverunt. Penuria apparatus therapeutici iis exprobratur a magno medico Coo: purgantia et serum et lac in morbis diuturnis fere fuerunt, quae administrarent, remedia; — recentiores tamen Cnidios in his meliora vidisse et docuisse scribit Hippocrates. Tum vero minime probanda fuit curationis ruditas, quae ex imprudentissimo vehementium remediorum usu cognoscitur, cuius horrenda etiam exempla in relictis morborum historiis supersunt. — Tandem, quod nescio an sit omnium gravissimum, ad parum fidas, quas statuendas arbitrabantur, morborum species certas adscripserunt medendi rationes, quae non accommodarentur ad aegri, quem curandum habebant, conditionem, sed ad morbum, seu potius ad falsam illam morbi imaginem, quam mente sibi informaverant. Hoc quidem vitium erat methodi eius generis, ut artis evolutioni impedimento esset, quare mihi ceteris gravius esse videtur.

Haec de schola Cnidia; converto me ad Coam et ad illustre decus eius, Hippocratem. Et hic quidem statim se nobis obfert praeclarum ex orbe antiquo virtutis et probitatis monumentum in formula promissionis, quae vulgo Hippocratis ius iurandum audit. Formulam illam esse antiquam vel oratio, qua expressa est, ostendit. Datum esse olim hoc iusiurandum a tironibus, qui in medicorum societatem recipi vellent, constat. Probabile est eius formulam apud Asclepiadas Coos in usu fuisse. Certum est eam nisi apud medicos practicos eosdemque morum probatissimorum nasci non potuisse, nec nisi apud eos, qui probe nossent quot et quantae res in vita civium privata medici fidei committantur, quanti civitatis intersit, ut ne fiducia, quae in ipso ponatur, medicus abutatur. Quid igitur fuit, quod sponderent veteres illi medici futuri? Promittebant se praeceptores suos parentum loco esse habituros, omnique re, qua indigerent, adiuturos; praeceptorum posteris se artem esse tradituros nullam mercedem pactos; — pro facultate sua diaetam, quae salutem aegrotantium promoveat, se praescripturos; medicamentum noxium nemini, abortivum mulieri nulli se praebituros, sed castam et ab omni scelere puram artem et vitam esse praestituros; nullam domum, nisi ad aegrotantium salutem se ingressuros; quae tum inter curandum, tum extra, in aedibus fidei suae commissorum vidissent, vel audivissent, non esse enarraturos, sed silentio suppressuros. — En, A. A.! quae spoponderunt viri illi Graeci! Estne in his *φιλαργυρία?*

Estne in his sordidum aliquid, vel humile? Imo liberalitas, morum puritas, vitae et artis sanctitas! Patrum et nostra aetas de his detraxit, vix quidquam addidit, quum formulam iuris iurandi, quod nostri medicinae doctores futuri darent, concinnavit!

Ex antiqua autem medicorum stirpe, apud quam venerabile illud virtutis et morum integritatis monumentum exstitit, prodiit Hippocrates, de cuius vita et arte nonnulla deinceps proferam.

De viri vita, inquam; imo vellem me certi aliquid de ea tradere posse. Habemus inter libros illi tributos seriem epistolarum ab ipso et ad ipsum et de illo, uti ferunt tituli, scriptarum. Verum in his omnibus et in eius vita secundum Soranum non nisi *μύθους* possidemus, neque quidquam fere his inest, quod non sit fictum. Quod quidem demonstrare supersedeo, quia dudum inter Hippocratis studiosos de his nugis anilibus repudiandis convenit.

Fama est apud antiquos Hippocratem senem, nonagenarium, quin ultra diem obiisse supremum. E locorum in epidemiorum et morborum singularium descriptionibus obviorum nominibus liquet eum fuisse *περιοδευτήν*; non perpetuo uno loco, sed locis diversis in Graecia fere artem fecisse. Ex opere de aëre, aquis, locis patet eum fuisse *πολύπλαγκτον*, orbem antiquum fere totum eum peragrasse, quod eo consilio fecisse videtur, ut naturam et hominem in regionibus diversis observaret. Plura non novimus. De viri institutione, praeceptoribus non constat. Quis fuerit, quid fecerit, ex eius operibus eruere oportet; sed horum longe maxima pars periit. Non supersunt, nisi fragmenta nonnulla, quae, quum pauca sint, enumerabo. De re obstetricia et mulierum morbis si quid olim scripsit, relictum est nihil. De viri chirurgicis unicum fragmentum, sed satis magnum superest de capitis vulneribus. Probabile est semeiotici operis locos quosdam cum alienorum operum reliquiis commistos esse servatos. Habemus porro introductionem in opus magnam partem deperditum, quo de omni victus ratione, quae therapeia illi erat, in morbis acutis exposuit. Dein opus de aëre, aquis et locis, cuius e media parte ampli et magni momenti loci deficiunt. Denique supersunt descriptiones morborum epidemiorum quatuor, singularium quadraginta duae. En quod de viri longaevi operibus reliquum est. Praeterea nihil!

Obliviscerisne, inquit aliquis, aphorismorum, quos omnes omni aevo, quasi qui summam sapientiae medicae contineant, celebrarunt? Puderet me sane lapsus memoriae, nisi consulto omisissem. Scilicet ego pro certo affirmo in aphorismis inesse aliquot locos ex viri libris excerptos, sed aphorismum eiusmodi nullum ipsum Hippocratem literis mandavisse; — quin apophthegmaticum hoc genus scribendi ab eius ingenio esse longe alienissimum. Quam rem ut mihi affirmanti iam credatis oro, A. A.! demonstratio non est huius diei nec loci, neque in ea tempus terere et taedium vobis parere lubet.

Sed transire oportet ad Coorum et Hippocratis in primis artem, ut huius quasi imaginem nobis repraesentemus. — Si qua praestantia est in viro vere ingenioso, est mirabile artificium naturam et hominem observandi. Hac in re vere dixeris illum nihil moliri inepte. Haec innata viro virtus et facultas fuit; hoc nomine κατ᾽ ἐξοχὴν Graecum se praebuit. Quum alii, de quibus dixi, male saepe observarent, hic recte quid fieret vidit. Cuius rei certa documenta in quibuslibet eius operum reliquiis apparent, illustrissima vero in libro illo de aëre, ceteris. — Verum operae pretium est paulo intensius hoc persequi. Quid igitur cernimus in semeioticis, qui illi deberi videntur, locis. Depingit nobis conditiones, in quibus homines vidit, unde natae sunt pulchrae illae descriptiones faciei moribundi, oculorum adspectus in morbis, decumbendi rationis aegrorum, modi respirationis, signorum ex excretis et retentis. In quibus continenter morbo ortas functionum corporis vivi turbas comparat cum integrarum in sanitate notis, summamque illam legem videt et tradit, eo maius esse periculum, quo longior sit a sanitate recessus. Nec negligit in signorum computatione distinguendum esse inter ea, quae ex more aliquo, consuetudine aliqua homini sint propria et ea, quae vere morbi effectus sint. Significatum signorum diversum in sexus, aetatis diversitatibus animadvertit.

In morborum descriptionibus eandem miramur naturam observandi artem. Hippocrates primus fuisse videtur, qui morborum epidemiorum et singularium historias scripto mandaverit. Quod ipsum statim non exiguum quid est, sed magnum. Ita enim via sternitur ad observationem accuratiorem; ita demum conscius sibi fit artifex eorum, quae videat; ita occasionem sibi parat ea, quae olim ipse observaverit et ab aliis observata sint, inter se

et cum novis observatis comparandi, ita medicorum experientia confirmatur, amplificatur, multiplicatur. Recentissimi Cnidii eum hac in re imitati esse videntur, non tamen ad eius praestantiam accesserunt. Postea apud Graecos et Romanos nulla, quod sciam, huius rei vestigia apparent. Post renatas literas demum medici ad viam, quam monstravit Hippocrates, redierunt et ad hunc usque diem eam tenuerunt.

Itaque quaerimus, quales sint illae morborum descriptiones? — In epidemiis depingendis locum, quo morbi observati sint, indicat; eum non describit. Si novisset opera sua per plura quam viginti saecula fore duratura, forsitan fecisset, ut a seris nepotibus intelligeretur. Verum Hippocrates non nobis scripsit; — scripsit aequalibus, qui loca, quorum nomina indicat, aeque bene noverunt ac novit ipse. — At describit anni tempestatum rationem, tum superioris anni, tum ipsius eius, in quo morbus observatus sit. Nempe has tempestatum diversitates et mutationes vim habere vidit in genium morborum epidemium et in formas morborum. Has autem formas ita depingit, ut quibus hominibus maxime acciderint, quas diversitates obtulerint in viris, mulieribus, adolescentibus, pueris nobis proponat, — ut quae morborum epidemiorum vicissitudo et consecutio fuerit per varias tempestatis mutationes enarret. — In morborum singularium descriptione ita versatur, ut si quid factum sit ab aegro, vel ei acciderit, quod morbo occasionem praebere potuerit, id primum tradat; ut aegrotantis sexum, aetatem, peculiarem corporis, subinde etiam animi conditionem notet; — ut signa morbi incipientis tradat, eiusque symptomata diversa per singulos deinceps, quos morbus duraverit, dies persequatur, tandem exitus modus proponatur. Fiunt autem haec ita, ut filum unum et continuum per totum narrationis cursum protensum facile appareat.

Iam e supra dictis constat Hippocratem longe alia ratione morbos observavisse quam Cnidios, et quod hic egit amplificari quidem a posteris potuisse, sed immutari totum nec debuisse, nec potuisse, quum observandi methodus ipsa bona esset.

Neque alio modo sentio de iis, quae in libro de aëre, aquis, locis nobis reliquit; de quo cum aliquid dicturus sum, video duo, quae defendere nolim. Primum non contendam illum in his errorem committere non po-

tuisse; tum vero minus etiam contenderim nos hodie omnia intelligere, quae in hoc scripto nobis tradidit. Ipsi homines longo temporis tractu mutantur et telluris vultus mutatur: habemus autem in hoc tractatu observationes et subinde de observatis ratiocinationes, vel saltem συλλήψεις observationum, quae viginti saeculis et ultra ante tempora nostra scripto mandatae sunt et in quibus sermo est de terrae regionibus et gentibus, quas perpauci sane eorum, qui hodie Hippocratem legunt, visitarunt. Itaque de minutis quibusdam et minus momenti habentibus, in quibus fortasse ab eo dissentias, — quamquam vel hac in re prudentem esse oportet, — in huius operis viri magni aestimatione sermo esse non potest. Sed hoc quaerimus, quae summatim mens auctoris fuerit, quid spectaverit, quum hunc librum componebat. Vir eximius magnam partem orbis antiqui perlustraverat; quascumque regiones adiisset, earum naturam soli, — aquarum stagnantium, fluminum rationem, — paludum, planitierum, montium situm observaverat, — quomodo civitates soli et ventis expositae vel ab iis tutae essent notaverat, — incolarum cum physicam, tum psychicam indolem animadverterat, — eorum tum sanitatis tum morborum rationem tenuerat. Itaque nexum esse perspexerat inter hominis sani indolem, facultates animi et corporis, vitae conditionem omnem et regiones, in quibus degeret homo. Vidit nexum certum esse inter ventorum, aquarum, situs regionum modum et morbos, quibus homines laborarent. Quo facto summam huius copiae observationis et de ea meditationis hoc scripto aequalibus tradidit. Atque ita quidem factum est ut tum morborum descriptionibus, de quibus paulo ante dixi, tum hoc, de quo postremo vidimus, opere conderet epidemiologiam et geographiam et ethnographiam medicam, quarum studium per longissimum tempus intermissum recentiore tempore instauratum est. Id nisi sit aliquid, id nisi magnum quid esse aestimetur, ego quid parvum, quid magnum sit, me nescire profiteor. Sed vos, A. A., praestantiam in his inesse non negabitis; eò vero minus estis negaturi, quum cogitaveritis quam parum instructus vir Graecus fuerit, quum primus ad talium rerum observationem et contemplationem accederet. Comparavi aliquando Hippocratem cum Humboldtio; cuius comparationis me nondum nec pudet, nec poenitet. Huius *Ansichten der Natur* mihi in mentem revocabant opus medici Graeci, de quo dixi. Uterque sane multum diversis tempo-

ribus naturam per magnam orbis terrarum partem contemplatus est; uterque omnem, quoad eius fieri poterat, est amplexus. Germaniae decus illud plurima sane investigavit et protulit, de quibus vir Graecus ne cogitavit quidem. Sed quae fuit Hippocrati instrumentorum omnis generis, librorum scriptorum copia, — quae Humboldtio? — Hic plurium saeculorum magnorumque virorum, qui per saecula illa vixerunt et naturae investigationi operam dederunt, experientiâ, apparatu quolibet instructissimus; — ille observatorum in hoc genere primus, non magis instructus quam eiusmodi rerum indigentissimus quisque, omnia suis mentis et animi dotibus, suo debuit studio. Sitne, quaero, in viro Graeco ingenii praestantia?

Itaque, quod principio dixi, Hippocrates observandi arte maxime excelluit; haec ipsa vero ad meliorem curandi viam quam quae aequalium Cnidiorum fuit quin duxerit, ne dubitetis. Vitii statim, quod maximum in Cnidiorum therapeia inesse dixi, apud illum ne vestigium quidem. Non quaerebat morborum nomina, sed observabat aegrorum conditionem; mentem advertebat ad morbi tempora diversa, ad mutationes signorum in meliorem, deteriorem partem. Inde indicationes, quas appellaverunt recentiores, petebat eorum, quae fieri deberent, et diligenter dum curabat, quid efficeret id, quod ageret, observabat, et num iuvaret videbat et ne noceret cavebat. In eius morborum enarrationibus non frequenter mentio facta est remediorum administratorum, quae res quum ad notitiam perveniret etiam eorum, qui numquam eius scripta legissent, dicere coeperunt Hippocratem nihil egisse, sed placide sive reditum ad sanitatem, sive obitum aegrotantium exspectavisse. Quorum nihil est verum. In introductione in opus de diaeta sapientia de instituenda legimus monita; in morborum vero historiis consentienter cum his monitis artem eum factitantem videmus. Nec mirum; nam quomodo idem vir, qui in observatione practicum se praebeat eximium, in curatione ineptum se praestiterit? Tanta sane repugnantia in eiusdem hominis ingenio cogitari plane non potest.

Haec quidem de Cois et medicorum veterum facile coryphaeo dicta sunto. Tempus vero urget et supersunt pauca, de quibus breviter absolvam. De chirurgia, de anatomia, de physiologiae vestigiis prisco aevo haec accipite!

Opificia, alia vitae civilis negotia, bella quovis tempore et apud quasvis gentes, apud Graecos insuper certamina, gymnasia non potuerunt non praebere materiem chirurgis, in qua artem exercerent. Antiquissimus autem de rebus chirurgicis liber superstes est fragmentum de capitis vulneribus, quod seni Coo acceptum referimus. Sunt tamen in eo indicia manifesta artem eam illo aevo dudum fuisse cultam. Mentio fit in eo usus terebrae, quod instrumentum non describitur, sed memoratur tanquam omnibus notum. Unde intelligitis non novam fuisse artem, in qua tale instrumentum usurparetur. De primis vero eius initiis nihil novimus. — Anatomicam partium cognitionem non plane chirurgis antiquis deesse potuisse unusquisque perspicit. Et vero Hippocrates in suo scripto ossium cranii structuram exponit; scribit de locis cranii debilioribus, robustioribus, plus minus partibus mollibus tectis, de diversitate habitus ossium pro aetate diversa, de suturis, aliis rebus, quas in tractatione laesionum computandas censeat. Ceterum quemadmodum in chirurgicis illis definiri non potest quid decessoribus debuerit, quid ipsi debeatur, ita de anatomica partium cognitione viri vix quidquam scimus. Num anatomiam solum chirurgiae causa coluerit, an corpus humanum quoque cognoscendi gratia illi operam dederit, non liquet. Praeter alia minoris momenti et minora de chirurgia scripta habemus opus de fracturis et luxationibus anonymi, cui etiam debemus anatomica fragmenta de ossibus, vasis sanguiferis, corde, aliis. Certum est hunc reliquos illos veteres in anatomicis longe antecellere. Huic anatomia fundamentum fuit, cui chirurgiam superstrueret. Constat autem eum non solum chirurgiae causa anatomiam coluisse, cadavera vero etiam secuisse ut partium formae, situs et nexus cognitionem sibi pararet. Eum his in rebus plura scivisse, quae Hippocratem latuerint, eius opus ultro ostendit. Prae monumentorum defectu de hoc quoque ignoramus, quid ipsi debeatur, quid antiquioribus. Apparet autem eum plures methodos describere, quas alii usurpaverant, ille vero reiecerat, sive propter crudelitatem sive propter inanem, a qua longe alienus est, ostentationem. Verbo chirurgum se praebet pro illa aetate ceteris peritiorem, prudentiorem et non uno loco anatomiae scientiam prodit, quam admireris, et quae ex naturae rerum observatione nata sit, non ex phantasia, quemadmodum Polybi, aliorum descriptiones venarum plane sunt imaginariae.

Tum vero eruditus hic est dicendus: antiquiorum opera legerat. In remediis commendandis Cnidios sequitur; Hippocratis opera pervolvit et vel orationem viri passim est imitatus.

Postremo loco de physiologiae vetere illo aevo rudimentis moneo. Alius scriptor, cuius nomen item incognitum, in ovo gallinaceo novi organismi ortum quantulumcumque est contemplatus et per seriem aliquot incubationis dierum est persecutus. Idem etiam suo sane modo, quem ego laudibus non ornabo, physica quaedam experimenta ad vivi corporis phaenomena illustranda adhibuit et iis, quae in plantis observaverat, eundem in finem est usus. Horum nihil tamen ad medicinam promovendam fructus tulit, ita ut solum rei mentionem faciam, ne quod re vera factum sit reticeam.

Quodsi quis forte quaerat nihilne monendum habeam de veterum apparatu diaetetico et therapeutico, dicam Hippocratem sine dubio, sed praeter illum alios etiam, quid efficerent certa ciborum, potulentorum genera in sanis et aegrotantibus, quid agerent certa medicamenta, observavisse et notavisse. Quin haec res non parva pars erat argumenti libri divini senis de victus ratione. Seriore vero tempore, vetere observandi arte paene exstincta mirae, quin absurdae et turpissimae adeo exstiterunt medicamentorum compositorum formulae; et formularia, — φαρμακίτιδας appellaverunt, — literis mandata sunt genus remediorum continentia, quale plebs nostri aevi et nostrae regionis etiamnunc devorare deamat.

Itaque perveni ad metam, quam mihi posui, et summis quibusdam lineamentis vobis proponere conatus sum, qui et quales fuerint, qui antiquo tempore medicinam quomodocumque coluerint, et quid in ea praestiterint. Indicavi passim, quae futuris saeculis fructum tulerint, quae non. Iam antiquo illo aevo apparet quod per posteriorum saeculorum decursum item notare licet, recte observandi artem princeps esse medicinam provehendi instrumentum; theoremata varia et mutabilia et caduca esse; recte observata per omne aevum esse duratura. Quodsi vel haec tantum historia duce disceremus, eius studium neque otiosum, neque infructuosum esset. Praeterea vero qui eam colit cum quorumvis temporum viris excellentibus vivit eosque in ipso opere aestimare discit. Hoc quidem nomine semper ea sum delectatus. Magnopere sane me cepit studium Hippocratis, quem

diligere sensim magis coepi, quo magis perspexi quantum prae longe plurimis excellat. Sed praeter reliquam, de qua dixi, viri virtutem et eximias ingenii dotes aliud quid, de quo non dixi, in eo maximi facio. Numquam ille, quem divinum appellarunt senem, de se loquitur, semper contra de arte sua, quam non se invenisse, non se provexisse iactat, sed modeste affirmat eam esse quaerendam et viam, qua ad eam aditus pateat, monstrat. Ita quidem sibi laudem acquisivit apud aequales, ita apud posteros gloriam numquam perituram!

Abeuntem rectorem ex legis praescripto referre oportet de rebus academicis earumque tum prosperas tum adversas memoria repetere. Quod quidem mihi quoque nunc faciendum superest, et qua muneris parte iam defungar. Summatim annum, qui elabitur, fortunatum fuisse nostrae universitati affirmare licet. Bona nec pauca, neque exigua ei contigerunt; accidit quidem triste aliquid et irreparabile, quum unum e civibus morte praematura nobis ereptum doleamus, sed probe memini me, cum olim magistratum annuum deponebam, quinque studiosorum funera memoranda habuisse et raros esse novi annos, qui a luctuosis huius generis casibus prorsus sint liberi. — Ex curatorum, professorum ordinibus nemo fato occubuit; — docentium numerus uno est auctus; bibliothecae novae usu gloriatur academia nostra. Fuit igitur hic annus ei felix et faustus.

Verum de singulis paulo enucleatius exponendum; itaque primum de personis academicis, dein de studiorum instrumentis videbimus.

Cum vestrum ordinem intuemur, viri amplissimi! salvos vos esse, quod dicere coeperam, gaudemus et vobis gratulamur. Rerum tamen humanarum mutabilitas in illo etiam apparet. Vir nobilissimus de Vos van Steenwijk gravissimo se abdicavit munere, quod in finitima provincia multos annos gessit. Rex autem augustissimus, quum otium sibi expetenti concederet, insigni illum ornavit honore. Utramque rem absenti gratulamur et vota facimus, ut vir amplissimus, de rebus nostris meritissimus salva sanitate diu fruatur otio sibi facto.

Tum vero non amplius sedem suam apud vos occupat, qui per quatuor lustra et ultra vobis ab actis fuit, vir gravissimus Geertsema. Vos,

viri amplissimi! quin eius diligentiam in illo munere gerendo comprobaveritis, nemo est qui dubitet. Nos professores multum illi debere grato animo profitemur. Non fuit in nostro numero, qui non plurimi illum faceret; plerique eum carum habuerunt et nunc etiam habent. Bona quaevis apprecamur viro egregio, de universitate, cuius olim civis fuit, bene merito.

Tibi, gravissime van Roijen! qui iam curatoribus ab actis es, gratulamur novum, quod hoc anno in te suscepisti, officium. Decessor tuus saepius mihi significavit iucundum id sibi fuisse et unum ex iis, quibus ex urbe nostra decedens aegre valediceret. Utinam tibi quoque grata sit semperque futura sit opera, quam isto loco academiae commodis promovendis impendes.

Ad vos me converto, collegae coniunctissimi, artium et disciplinarum professores!

Doleo praesentem non adesse clarissimum de la Faille; absentem tamen ut silentio transeamus non committemus. Rude licet superiore anno academico donatus per magnam partem huius, qui iam elabitur, cives academicos instituere perrexit, nulla licet lege obligatus. Non sane praeter exspectationem ab eo factum vidimus, qui novimus quantopere omni tempore alma mater eiusque alumni illi cordi fuerint. Sed licet id, quod egit senex humanissimus, eiusmodi sit, ut facile ab eo exspectaremus, idcirco non reticebimus animi grati significationem pro iis, quae liberaliter ultra debitum praestitit.

Et ab illo quidem sponte ducor ad vos, viri clarissimi Rosenstein et Halbertsma, qui emeriti provinciam vobis obtinuistis. Uterque vestrum hodie primum huic academiae festo interest. Munus autem professorium iam occupavistis, eoque fungimini. Fausta quaeque fausto hoc die vobis exoptamus. Contingat vobis ut per longam annorum seriem in universitate Groningana disciplinis, in quibus veluti vitae tabernaculum posuistis, prodesse pergatis. Redundent ex institutioue vestra in iuventutem academicam fructus uberrimi; uberrimosque ipsi vobis colligatis ex labore, quem aliorum causa exantlare vestrum est.

Muldere amicissime! paucos ante dies tu annum aetatis complevisti septuagesimum; competit igitur ex lege tibi otium rude donati, quo brevi

frui poteris, quum te quoque cupiente iam designatus sit qui tibi succedat, doctissimus Salverda. Per multa sane lustra primum in athenaeo Franequerano, dein in universitate Groningana doctoris academici officiis functus es, quod quomodo omnium consensu feceris, ego te praesente non dicam. Per longam tuam vitam, uti ferunt res humanae, variam expertus es fortunam. Cum autem ex hoc loco te appello, duo prae aliis ob mentem mihi versantur bona, quae crescentibus annis integra tibi sunt servata: studiorum amor et animi hilaritas, quae mutuo inter se conspirant, ut vitam amoenam tibi reddant atque iucundam. Tu tuis rebus es contentus; contentum autem suis esse rebus, ut fert adagium, maximae sunt certissimaeque divitiae. Sunt vero tibi certiores, quia fructus sunt perpetui recte factorum conscientiae, quae quidem senectutem alere et sustentare putatur et quam in te idem ostensuram esse speramus. Nos te non privabimur, sed nobiscum, quod laetum nobis contingit, esse perges. Optamus fore, ut diu felicem vitam degere tibi concedatur, ut uxori tuae et filio, ut amicis, quos multos habes, carus, facultatum integritate, alacritate ad studia, sine quibus vita tibi mors sit, otio tuo gaudeas, atque ita illo utaris, ut omni nomine otium cum dignitate, — id est te dignum, — dicatur et habeatur.

Venio ad vos, iuvenes ornatissimi, academiae Groninganae cives! Quod cum facio, statim dolorem renovare debeo, quo affecti fuistis acerbo fato vestri Harm Albert Tresling, qui flebilis tristi morti occubuit brevissimo tempore postquam pater eius, vir expertissimus, e vita excesserat. Fuit ille ceteris, qui eum docebant, praeceptoribus mihique discipulus probatissimus. Multa enim habebat, quibus se commendabat; — morum puritatem, animi modestiam et candorem, studiorum amorem, ingenium docile. Quae virtutes fecerunt, ut cum commilitonibus in gratia esset, ut a professoribus diligeretur. Vigiliis, curis, tristitia iam postremis longi morbi patris, quem omni qua filium decet pietate colebat, diebus affectus, brevi post parentis funus studia repetivit solita et in nosocomio morbum contagiosum, quo laborantes visitaverat, contraxit. In morbo illo deliria de obitu, de funere futuris; tandem morbi vehementiae succubuit. Neminem novi, qui casum tristem audiret, quin dolore affligeretur. Omnes miserebat iuvenis in aetatis flore exstincti, omnes matris, quae nuper coniuge orbata

iam filium sibi carissimum, in quo, quum natu maior esset, post mariti obitum spem suam omnem ponere coeperat, ereptum sibi vidit. Si quid graviter afflictae matri et vobis et nobis solatium afferre potuit, fuit sane fiducia in summi numinis erga mortales caritate, spes immortalitatis, recordatio virtutum, quibus ornatus magnum sui desiderium reliquit iuvenis ingenuus.

Verum festo hoc die, iuvenes generosissimi! post doloris memoriam laetiorum quoque reminisci licet, quae ad vos spectant. In studiorum cursu plerique vestrum laudabiliter sunt progressi. Non pauci prae multis excelluerunt. Sunt insuper inter vos, qui mox praemia accipient in certamine literario a senatu olim indicto reportata, quos paulo post sum appellaturus. Numerus vester, cives Academici! non decrevit, non multum accrevit. Nos autem, commilitones! academiae vigorem et florem non numero civium, sed eorum virtute aestimamus et industria et ingenii vi insita. Quapropter vos quod facitis facere pergite: curate ut diligenter studiis operam navetis, ut profectu in disciplinis pariter et in moribus gloriam huius musarum sedis tueamini; enitimini ut vestris laudibus eius lux late splendeat.

Et id quidem vobis omnibus dictum cupio; medicinae studiosis haec addam:

Quum dirus morbus epidemius hac aestate patriam nostram paene universam invaderet et in nostra quoque civitate strages edere coepisset, in studiis e vobis provectiores evocati sunt, ut aegrotantibus una cum medicinae doctoribus, ceterisque, qui artem exercent, viris peritissimis aegrorum curam in se susciperent.

Qua in re quidem tam diligenter sunt versati, ut magistratus urbanus eos iuxta cum medicinae doctoribus nummo argenteo et honorario condecorandos et remunerandos existimaret. Praeceptores vestros alacritate vestra ad opem ferendam, patientia laboris in ea re ostensa, honorifico vobis rei eventu laetatos esse, non est quod multis verbis vobis dicam, qui nostrum, ut opinor, erga vos animum novistis. Verum res haec uti vobis laudi est, ita honori est academiae, quae tales habeat alumnos, in quibus fiducia poni possit et qui intelligant non vanae ostentationis causa se doceri et discere, sed ut quod noverint in usum publicum transferendo artem, quam professuri sunt, vere reddant salutiferam.

Postremo breviter dicam de eruditionis generis varii subsidiis.

In bibliothecam novam hoc anno sunt translati, quos Academia possidet, libri. Est sane aedificium illud novum pristino longe elegantius et multo aptius, adeo ut satisfaciat usui, cui est destinatum. Librorum copia aucta est, quantum fieri potuit, subsidiorum ope pecuniariorum non largorum; aucta est etiam munificentia illorum, qui bibliothecam donarunt operibus pluribus diversorum auctorum et varii argumenti. Nota est omnibus opera, quae in cura eius ponitur a viro clarissimo, qui illi praefectus est et cui debitas agimus gratias pro regimine rei, cuius omnium multum interest.

Apparatus instrumentorum physicorum, chemicorum, chirurgicorum, aliorum increvit, quemadmodum quotannis nonnulla accedunt pro subsidiorum modo; non tamen factum est in his, quod nunc separatim memorandum sit. Simili autem modo res se habet cum museo historiae naturalis.

De ipso horto botanico nihil quidem memorabile hoc anno dicere licet; sed adhuc defuit herbarium academicum. Prospiciebatur autem inopiae usu illius, quod vir clarissimus van Hall per multos annos e diversis regionibus sibi collegit. Nuperrimis vero annis tribus herbarium eiusmodi condi coeptum est, quum e publica collectione plantarum siccatarum, quae Lugduni-Batavorum est, redundantes copiae huc transmittantur. Locus tamen, ubi id, quod sensim acquiritur, conservetur, non datur; itaque depositum est in aedibus, quas botanices professor habitat.

Construitur autem laboratorium physiologicum splendidum, quod academiae ornamento fore praevidemus et quod proximo anno ad usum instructum fore sperare licet.

Curatores operam dare novimus ut nosocomium amplius et melius quam praesens aedificari possit. Vehementer optamus ut haec res prospere cedat. Rerum medicarum facies in patria nostra nova lege lata mutata est, et necesse est ut clinicis exercitationibus omnis generis ita prospiciatur, ut maior numerus aegrotantium observandus et tractandus medicae artis studiosis exhiberi possit.

Defuit adhuc illis locus et occasio, ubi, quod nova lex ab iis postulat, medicamenta ad aegrorum usum e formulis praescriptis parare discerent. Adiungetur autem nosocomio apotheca, ubi in hac pharmaciae parte se exercere poterunt. Haec de studiorum instrumentis dicta sunto!

Restat, ut referatur de certamine literario,quod per Regis munificentiam superiore anno indicere nobis licuit. Statim autem dicam facultates medicam et theologicam ad quaestiones propositas nullum accepisse responsum. Itaque viros clarissimos, qui ordinibus disciplinarum mathematicarum et physicarum, — literarum humaniorum, — iure consultorum ab actis sunt, officiosissime rogo, ut singuli deinceps ordinis sui iudicia de responsis acceptis nobis praelegant.

(Recitatur iudicium de responsis ad quaestionem chemicam.)

Vos igitur accedatis, ornatissimi van Zouteveen et Allarde Henrice van Ankum.

Ecce! trado tibi, ornatissime van Zouteveen! praemium tibi destinatum, — tibi ornatissime van Ankum testimonium laudis, quam e certamine reportasti. Utrique vestrum gratulor honorem, quem promeruistis. sciplina, e qua argumentum quaestionis, cui respondistis, petitum est, hoc aevo laete floret et magnos celeresque facit progressus. Multa in eius studio multorum est virium intentio. Itaque vos, via, quam ingressi estis, procedentes, in magna illa eruditorum decertatione, ut huic scientiae humanae ditioni latiores latioresque fines ponantur, pro patriae laude propugnetis, sicuti iam fecistis pro laude universitatum, quarum cives estis!

(Recitatur iudicium de responso ad quaestionem zoologicam.)

Iam te, ornatissime van Ankum! rogo ut ad me venias acceptum praemium tibi decretum!

Iuvenis praestantissime! cum te hic adstantem video, qui paulo ante eodem loco fratrem adspexi tuum, non possum, quin cogitem patrem tuum, virum peritissimum, qui hodie sane singulari utitur fortuna, quum utrumque filium inter commilitones excellentem et honoratum videat. Quod quantopere intimum eius animi sensum movere debeat, persentio. Tu, ornatissime! macte virtute tua! perge quae solum patrium fert naturae opera perscrutari! Brugmansius testabatur se indigena tanti facere, ut

religione quadam ad ea exploranda nostrates teneri existimaret. Tu talis tantique viri verborum memento!

(Recitatur iudicium de responso ad quaestionem de Homeri poësi.)

Itaque te, ornatissime Valeton! ut ad me venias oro!

En tibi, iuvenis praestantissime! testimonium tuum, quem honorem tibi patrique tuo, collegae coniunctissimo gratulor. Tu quidem operam posuisti in eo,

„qui quid sit pulchrum......"

sed nolo tibi versus recitare, quos memoria tenes! Est ille, a quo in literarum studiis tanquam a Iove principium. Quodsi iam primos honores non tulisti, non est cur te poeniteat laboris responso impensi. Literarum studioso laudi est Homericae poëseos accuratam habere notitiam, quod de te in iudicio praeceptores tui testantur. Novisti patriam nostram in literis per longam annorum seriem principibus gloriari viris. Tu igitur et aequales tui, elaborate, ut in posterum avitam regionis nostrae gloriam tueamini!

(Recitatur iudicium de commentationibus de quaestionibus iuris, quae ex usu telegraphiae profluunt.)

Iam vos exspecto, egregii iuris candidati, Asser et Willemier, ut virtutis praemia petatis!

Gratum quidem mihi esset, utrique vestrum, quia pari laude contendistis, nummum aureum tradere posse; nunc vero, quum fieri non possit, illi, quem sors indicavit, a me tradetur. Non dubito tamen, quin ambo pluris faciatis laboris comprobationem, quam a facultate obtinuistis, quam sive nummum, sive membranam, quibus illa comprobatio est inscripta. Accipite igitur, tu, ornatissime Asser! praemium aureum, — tu, ornatissime Willemier! testimonium honorificum!

Physicorum inventa non statim quidem plane praebuerunt materiem vestris disputationibus; sed tamen ansam praebuerunt, ut novae eiusmodi quaestiones in iure exorirentur, quales vos tractavistis. Ita progressus facti

in disciplina, quae cum iuris studio nihil commune habere videatur, faciunt ut huic nova capita addantur. Vos, quemadmodum novam hanc quasi iuris provinciam pari laude perlustrastis, ita in reliquo studiorum cursu pari laude progrediamini!

(Recitatur iudicium de quaestione de libero deligatorum populi arbitrio.)

Vobis tandem, ornatissimi de Stuers, van der Hoop, Ramaer! tradam praemium et testimonia, quare ut huc veniatis vos invito.

Ecce! singulis in manum do, quod vobis destinatum est. Vobis quoque gratulor vestros honores! Cum videmus hodie quinque iuris studiosos non solum decertavisse, sed partim praemia, partim laudis ornamenta reportavisse, quibus condecorati e certamine secedunt, apparere dixerim iuris studia in academiis, athenaeis patriis florere. Qua quidem re patriae causa laetamur. Cum enim e ceteris facultatibus fere proveniunt, qui alio modo civitati prosint, ex ordine iure consultorum fere prodire solent qui publica munera gravissima gesturi sint. Hoc etiam nomine, iuvenes egregii, vos spes estis patriae. Vestrum est curare ut ne hac spe fallatur; sed bono omini sunt ea, quae praestitistis. Quapropter, ut studiis serio operam detis vos admonendi vix causa est. Ut in posterum studia vestra fructus ferant tum rei publicae, tum vobis ipsis, vota facimus.

His igitur feliciter peractis id unum superest agendum ut munus, quod hoc anno academico gessi, a Rege augustissimo mihi dato successori tradam.

Itaque te, Iane Gulielme Ermerins! rectorem universitatis Groninganae magnificum pronuncio ac declaro.

Salve, nove Rector!

Non invitus, amice! tibi cedo fasces Academicos.

Officium vero, quod suscipis, tibi, quod mihi contigisse grato profiteor animo, sublevetur omnium erga te benivolentia.

Floreat, te Rectore, academia Groningana!

UEBER DIE BEZIEHUNGEN

ZWISCHEN WISSENSCHAFT UND PRAXIS IN DER MEDICIN

MIT RÜKSICHT AUF DIE AUFGABE DER KLINIK.

ANTRITTSREDE

GEHALTEN

AN DER UNIVERSITÄT ZU GRONINGEN

AM 8 FEBRUAR 1866

VON

PROF. DR. SIEGMUND ROSENSTEIN.

HOHE VERSAMMLUNG!
HOCHVEREHRTE ANWESENDE!

Gerne wuerde ich schon die ersten Worte, die ich an Sie richten darf, in der Sprache dieses Landes ausgedrükt haben, damit Sie daraus die Hochachtung entnehmen koennten, die ich vor dem Geiste Ihrer Nation hege, und den Wunsch, bald bei Ihren heimisch zu werden. Allein, noch bin ich der hollaendischen Sprache nicht so maechtig, dass ich nicht fuerchten muesste, durch mangelhafte Ausfuehrung selbst den guten Willen zu verdaechtigen. Desshalb habe ich mir die Erlaubniss erbeten, an dieser Stelle deutsch sprechen zu duerfen. Und bei der engen Verwandtschaft, welche zwischen den Sprachtstaemmen und Geistesrichtungen Deutschlands und Hollands herrscht, darf ich hoffen dass Ihnen auch die deutsche Redeweise keine fremde sein wird, zumal wenn ihr Inhalt in dem Boden wurzelt, der allen Voelkern gemeinsam ist, in der Wissenschaft. Freilich giebt es auch in ihr ein nationales Element, das sich abspiegelt in der Art, wie die einzelnen Voelker je nach der Individualitaet ihres Geistes an dem Riesenbau des Denkens mitarbeiten, je nach dem Antheil, den sie an der Foerderung des Gesammtwissens tragen — aber diese Verschiedenheit betrifft mehr die aeusseren Wege, auf denen die Traeger der Gedanken einherziehen, mehr die geistige Atmosphäre, unter deren bald leichterem bald schwererem Drukke jene leben und wirken — die letzten Zwekke sind ueberall die gleichen, die Erkenntniss und das Wissen. Darum giebt es auch keine deutsche oder holländische Wissenschaft, sondern es giebt nur unter den verschiedenen Völkern zu verschiednen Zeiten einzelne Genien, welche der Forschung neue Bahnen erschliessen, auf denen die andren Nationen folgen muessen, und von welchen dann eine

22*

ganze Epoche mit ihren Strebungen und Errungenschaften gekennzeichnet wird. Einst war Griechenland der klassische Boden fuer Kunst und Wissenschaft; nach dem tausendjährigen Schlafe des Mittelalters erwachte der Geist in Italien; die Macht des Protestantismus liess später England und die Niederlande die Herrschaft ueben, bis Frankreich beide ablöste, und endlich Deutschland die Palme errang. So hat die geistige Suprematie unter den Völkern ehedem gewechselt — je weiter aber der Kreis des Wissens allmälig sich gedehnt hat, je höher das Niveau der allgemeinen Bildung gestiegen ist, um so weniger ragen nun noch einzelne Voelker hervor, um so mehr bildet die ganze civilisirte Welt die grosse Wahlstatt des Geistes, auf der alle ringen ohne zu streiten, alle kaempfen, ohne sich zu befehden.

In diesem Gefuehle allgemeiner Ebenbuertigkeit jeder wissenschaftlichen Bestrebung, in diesem Gedanken voelliger Einheit im Ziele, wo es gilt, zu lernen und zu lehren, bin ich kein Fremdling unter Ihnen und darf schon in der ersten Stunde, wie mit Vertrauten ueber die Aufgabe sprechen, an deren Loesung ich mit zu arbeiten berufen bin.

Unter den einzelnen Wissenszweigen nimmt die Medicin dadurch eine ganz eigenthuemliche Stellung ein, dass sie gleichzeitig auch Kunst ist. Vermoege ihres praktischen Berufes hat sie ihren letzten Zwek nicht im Wissen, sondern im Koennen, und die Aerzte aller Zeiten haben als die hoechste Aufgabe der Medicin die Heilung der Kranken und den Schutz der Gesunden hingestellt. Selbst diejenigen, die vermoege der engen Umgrenzung ihres Gegenstandes und seiner scheinbaren Abgelöstheit vom Lebendigen am ehesten noch die Beziehung des Wissens zum Koennen in den Hintergrund stellen, und am Wissen als solchem sich genuegen lassen konnten, selbst die haben in der Zergliederung der Leiche nur das Mittel fuer den Aufbau des Lebens gesehen. Ueber dem Secirsale zu Paris prangt die herrliche Inschrift: „Hic locus est ubi mors gaudet, succurrere vitae." Wie viel mehr also wird denen, welchen direct der Beruf zufaellt, Aerzte zu erziehen, daran gelegen sein, die Wissenschaft aus der reinen Hoehe des Selbstzwekes herniedersteigen zu lassen in den Dienst der Menschheit, und die humane wie sociale Aufgabe der ärztlichen

Kunst höher zu stellen als die der medicinischen Wissenschaft! Aber — und darin liegt heute der Schwerpunkt unserer Betrachtung — giebt es denn ein aerztliches Koennen ohne medicinisches Wissen, uud ist hierbei ueberhaupt von hoch und niedrig zu sprechen? Einzelne freilich — die Praktiker par excellence — wollen es meinen, und stellen das Verhaeltniss beider als ein ziemlich unabhaengiges von einander dar, so dass Pathologie und Therapie Wissenszweige waeren, welche ihre Gesetze nur der Beobachtung der Kranken und tausendjähriger Erfahrung, nicht aber den Lehren der Anatomie und Physiologie, der Physik und Chemie, und anderer Disciplinen entnehmen. Diejenigen, die so denken, braucht man, um sie mit ihren eignen Waffen zu bekaempfen, nur zu fragen, was denn Beobachtung und Erfahrung sei. Schon das blosse Sehen ist ja von der geistigen Verarbeitung des sinnlichen Eindrukkes abhaengig, und ein Kind sieht bekanntlich nicht sogleich, obwohl auf die Netzhaut seines Auges die aeusseren Gegenstände so gut ihr Bild werfen, wie auf die des Erwachsenen. Aber ihm fehlt noch die grössere Zahl von Sinneseindruekken, welche erst wiederholt zum Bewustsein gekommen sein muessen, ehe die Verbindung zwischen beiden die Schaerfe des Sehens erreicht. Beobachten aber ist mehr als blosses Sehen. Hiebei soll nicht die sinnliche Erscheinung ueberhaupt nur wahrgenommen, sondern im Zusamenhange mit andren Phänomenen erfasst, und als die besondere Form eines allgemeinen Gesetzes erkannt werden. Wer einen Apfel von Baume fallen sieht, oder einen Kronleuchter hin und her schwingen, der hat eben nur gesehen, wer aber in der einen dieser Erscheinungen den Ausdruk der Gravitation und in der anderen das Gesetz der Pendelschwingungen erkennt, der hat beobachtet. Wenn ein Kranker in seinen Bette nicht liegen kann, sondern aufrecht sitzen muss, uud statt ruhig zu athmen in schneller Hast keucht, so dass die Augen starr glotzen und die Wangen sich blau faerben, so kann auch der Laie die Beschleunigung der Athemzuege sehen, und die Qual des Kranken empfinden. Aber beobachten kann ihn nur der Arzt, der mit dem allgemeinen Grunde der Dyspnoe vertraut, in ihr den Ausdruk des gehemmten Gaswechsels zwischen Blut und atmosphärischer Luft sieht, und naeh den einzelnen Bedingungen dieser Hemmung fraegt, ob sie in den zufuehrenden Luftwegen ihren

Grund hat, also im Kehlkopf und den groesseren Bronchien, oder in krankhaften Veraenderungen der Lungen selbst, oder im Blute, oder in mechanischen Verhaeltnissen, sei es der Circulationsorgane, sei es der Brust oder des Bauchraumes, durch dessen Beengung die noethige Ausdehnung der Lungen beeintraechtigt wird. Nur wer so sicht, beobachtet, und nur wer so beobachtet macht Erfahrungen.

Also nicht die blosse Wahrnehmung von Krankheitserscheinungen und nicht die Haeufigkeit solcher Wahrnemungen, erheben den Arzt zum Beobachter und geben ihm Erfahrung, sondern allein das Verstandniss der Erscheinungen. Ein Verstaendniss aber ist erst ermoeglicht worden, seitdem die Anatomie und Physiologie den Bau der Organe und ihre Functionen haben kennen lehren, seitdem man angefangen, die Lebensvorgaenge im menschlichen und thierischen Organismus unter den gleichen Gesichtspunkten chemischer und physikalischer Gesetze zu erforschen wie die uebrige gesammte Natur. Erst mit dem Augenblike, wo der gesunde Organismus unter die Botmässigkeit der allgemeinen Naturgesetze gestellt war, musste auch die Krankheit aufhoeren, ein ausserhalb derselben stehendes Wesen zu sein, welches nach Willkühr und Laune Symptome producirte, die mit dem normalen Geschehen keinen Zusammenhang hattem. Der Physiologie dankt die Patholologie diese fundamentale Wahrheit, dass Gesundheit und Krankheit nur Kehrseiten eines und desselben Lebensvorganges sind, welche nach gleichen Gesetzen verlaufen, verscheiden nur nach den aeusseren Bedingungen, und oft so nahe aneinander grenzend, dass wir von der Breite der Gesundheit sprechen müssen.

So lange solche Anschauungen nicht thatsaechlich begruendet waren, entsprach die symptomatische Medicin dem Bewustsein der Zeit, und es waere gewiss mehr als thoericht, die Leistungen des Alterthums darum unterschaetzen zu wollen, weil die Aerzte dieser Zeit die Krankheitserscheinungen mehr aeusserlich nebeneinander reihten, statt ihre innere Entwiklung nnd Verknuepfung zum Ausgangspunkt zu nehmen. Denn jene mussten erst durch die genaue Wahrnehmung groesserer Symptomenreihen den Boden schaffen, auf dem nach einem inneren Bande der einzelnen gesucht werden konnte. Und man het auch schon fruehe danach gesucht —

In neutra aeque placuerunt omnia. Utriusque auctores in indagandis et explicandis iis, quae spectant negotia adhibito telegraphiae usu contracta, et melius et certius progressi fuissent, si magis attendissent ad ea et ab iis disquisitionem incepissent, quae simpliciori contrahendi modo, inter praesentes aut per litteras perfecto, adaptata sunt. Deinde nonnumquam argumentationibus usi sunt, quae non sponte ex rei natura ductae inquirentibus se obtulisse, sed pro rei quam putabant necessitate quaesitae, ideoque inventae esse videantur, argumentationibus itaque, quae non ad constituendam sententiam duxerint, sed multo magis, inverso ordine naturali, sustentandae et defendendae sententiae iam constitutae originem suam debeant.

In quibus si non liberi manserint a vitiis, in quae et alii inciderunt, qui ante eos de hac re egerunt, viri doctrina celebres, universe tamen materiam satis difficilem et latam adeo probabiliter pertractarunt, ut opus praestiterit uterque sua laude dignissimum. Quaestiones, quibus locus erat, non proposuerunt tantum, sed etiam aut amplius aut brevius, prouti res ferre videbatur, exposuerunt. Doctorum de subiecto argumento scriptis iudicumque sententiis diligenter adhibitis, varias de singulis quaestionibus opiniones retulerunt et de iis iudicaverunt, quid ipsis videretur et quare, indicarunt et explicuerunt, ita autem explicuerunt, ut etiam non assentientibus et mentis sollertiam et iudicii alacritatem probaverint.

In his omnibus autem, si forte in singulis quaestionibus exponendis alter alteri praecelluerit, universe aequali laude digni adeoque parum inter se differre visi sunt, ut neutrum alteri praeferendum censuerit Ordo. Utrumque aureo praemio dignum iudicavit, quod tamen, quum utrique concedi non posset, alteri tradendum, alteri aequalis honoris testimonio compensandum erat. Utri daretur nummus aureus, sorti permissum est; priori commentationi sors favit.

Scidulis utroque consentiente apertis, huius auctor innotuit

CAREL ASSER,
Iuris Candidatus in Academia Lugduno-Batava,

alterius autem commentationis:

CORNELIS MARIE JOHAN WILLEUMIER,
Iuris Candidatus in Illustri Athenaeo Amstelodamensi.

Ad quaestionem: „Requiritur disquisitio historica et critica de libero arbitrio delegatorum populi, sive de argumento art. 82 legis fundamentalis. In quo argumento exponendo non tantum iuris publici nostri sed etiam aliarum gentium recentiorum habeatur ratio," tria responsa accepit Ordo.

Primum inscriptum sententia viri clarissimi I. Stuart Mill: „Questions of constitutional morality are of no less practical moment than those relating to the constitution itself," meritis non caret. Auctor ex fontibus, ad quos aditus illi patuisse videtur, historiam quaestionis apud recentiores populos contexuit, sub finem de nonnullis egit quaestionibus, quae ad argumentum art. 82 legis fundamentalis pertinere ipsi videbantur. Utraque tamen in parte huic commentationi plura desunt, quam ut ab Ordine probari possit. Pars prior, si excipias quae dicta sunt de Republica Belgii Foederati, conspectus potius est quam historia; in parte theoretica nec pertractantur omnia, neque satis apto vinculo inter se coniunguntur.

Auctor alterius disquisitionis, cui inscripta sunt verba:

„He either fears his fate too much
Or his deserve is small,
Who dears not put it on the touch
And win or loose it all,"

materiam nimis angustis finibus conclusit. Monarchiam enim lege de imperio circumscriptam solam complexus, omnia quae pertinent ad rationem delegandi in civitatibus, quibus est democratica regiminis forma, exclusit. Talis exceptio Ordini non videtur elici debuisse ex his verbis quaestionis propositae „liberum arbitrium delegatorum populi," neque vero ex altera eius parte: „aliarum gentium recentiorum habeatur ratio;" quaestione in neutra parte ad Monarchiam restricta. Ceterum pars historica huius disputationis longe praestat superiori, tam subtilitate, quam materiae ubertate, quod auctori aditus patuit ad fontes, qui priori defuerunt. De parte critica huius disquisitionis non licet idem praedicare. Dum prioris auctor subsistit in pertractandis quibusdam locis, non iusto vinculo inter se iunc-

tis, alter disputationem maximam partem conflavit ex relatione sententiarum, quae a multis, potissimum Germaniae scriptoribus de hoc argumento prolatae sunt, passim tantummodo propriis quibusdam additis observationibus. Quare ne haec quidem disputatio Ordini in omnibus placuit.

Auctor tertii responsi, quod pro symbolo habet haec verba: „Als ick kan," eundem ambitum quaestionis ratus est atque primi. In parte historica haec disputatio nihilo secunda inferior, in critica longe et primam et secundam superat. Auctor suo marte doctrinam de libero arbitrio delegatorum populi copiose explicavit. Suis vestigiis insistens diligenti disputatione ex ingenio et natura recentioris formae regiminis repraesentativae, quae dicitur, doctrinam illam illustravit, rationesque exposuit, quae illam delegatorum *αὐτάρκειαν* commendent. Simul egregie docuit, quo modo et qua cautione effici possit, ut ne haec delegandi ratio quidquam officiat mutuo fidei vinculo, quod tam ante electionem quam postea delegantes et delegatos inter se constringere debet, ut hi revera populum „repraesentare" censendi sint.

Huius commentationis auctor, quem aureo praemio ornandum censuit Ordo, aperta scidula innotuit:

VICTOR EUGENIUS LUDOVICUS DE STUERS,
Iuris Candidatus in Academia Lugduno-Batava.

Priorum disputationum auctores, qui publice cum laude commemorandi videbantur, se professi sunt, primae:

JAN GERARD VAN DER HOOP,
Iuris Candidatus in Academia Groningana;

secundae:

PIETER ANTON RAMAER,
Iuris Candidatus in Academia Lugduno-Batava.

ORDO MEDICORUM
et
ORDO THEOLOGORUM

ad quaestiones propositas nulla acceperunt responsa.

ORDO LECTIONUM,

IN ACADEMIA GRONINGANA

HABENDARUM

INDE A FERIIS AESTIVIS A. CIƆIƆCCCLXV AD FERIAS AESTIVAS A. CIƆIƆCCCLXVI.

IN FACULTATE IURIDICA.

IACOBUS HERMANNUS PHILIPSE diebus Lunae et Martis, hora XI, Mercurii et Iovis, hora X, *Institutiones* Iustiniani explicabit; die Lunae, Martis et Iovis, hora IX, selectos *Pandectarum* locos tractabit; die Lunae et Martis, hora X, et die Iovis, hora IX, *Historiam Iuris Romani* enarrabit.

BERNARDUS IANUS GRATAMA tradet *Ius naturale* diebus Lunae et Martis, hora IX, die Mercurii, hora XI; *Ius criminale* diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora X; *Ordinem Iudiciorum publicorum* diebus Lunae et Martis, hora XI, die Mercurii, hora IX; *Encyclopaediam et Methodologiam Iuris*, die Veneris, hora IX—XII.

GERHARDUS DIEPHUIS *Ius civile* hodiernum tractabit die Mercurii, hora XI, diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora XII; *Ius mercatorium* explicabit die Mercurii, hora XII et I, die Saturni, hora XI; de *Iudiciis privatis* aget diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora I.

BERNARDUS DOMINICUS HUBERTUS TELLEGEN *Oeconomiam politicam* docebit die Lunae, hora XII et I, die Veneris, hora IX; *Statisticen patriae*, die Martis, hora XII et I, die Veneris, hora XI; *Ius publicum*, die Iovis, hora X et XI, die Veneris, hora X, die Saturni, hora X; Ius gentium docere paratus erit diebus et horis auditoribus commodis.

Disputationibus publicis et privatis lubenter praeërunt Iuris Professores.

IN FACULTATE MEDICA.

IACOBUS BAART DE LA FAILLE diebus Mercurii, hora VIII, Iovis, hora VIII et IX, Saturni, hora IX, — sed post ferias Paschales diebus Mercurii, Iovis, Veneris, horis VII et VIII, et Saturni, hora VII, — *Artem Obstetriciam Theoreticam et Practicam* exponet, et in Nosocomio ad parturientium lectos practice instituet: diebus Lunae, Martis, Veneris et Saturni, hora VIII, — sed post ferias Paschales diebus Lunae et Martis, horis VII et VIII, *Therapiam Specialem* morborum tradet: — diebus Lunae et Mercurii, hora IX, *Medicinam Forensem* docebit; diebus Lunae, Mercurii, Iovis et Saturni, hora X—XII, — Martis et Veneris, VI½ vespertina, in Nosocomio Academico *Clinicis exercitationibus* vacabit.

FRANCISCUS ZACHARIAS ERMERINS *Pathologiam generalem* docebit diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Saturni, hora IX; *Histologiam*, diebus Lunae, Mercurii et Iovis, hora XI; *Anatomiam pathologicam*, diebus Martis, hora X, et Veneris, hora VIII et X. *Exercitationibus clinicis* in Nosocomio quotidie vacabit, hora I.

IANUS HISSINK IANSEN *Chirurgiam* docebit diebus Martis, Iovis et Veneris, hora IX, et post ferias Paschales etiam die Saturni, hora IX; *Doctrinam de morbis oculorum* tradet diebus Mercurii et Saturni, hora XII; *Clinicis exercitationibus* in Nosocomio Academico vacabit diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris, hora XII; *Operationibus chirurgicis, in cadavere instituendis*, qualibet oblata occasione, praeërit; *Anatomen corporis humani* exponet diebus Mercurii, Iovis, Veneris et Saturni, hora IV; *Dissectionibus cadaverum anatomicis*, tempore opportuno instituendis, quotidie praeërit.

ISAÄCUS VAN DEEN *Remediorum effectum et therapeuticum usum* docebit diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora VIII; *Pharmagnosin et Pharmacologiam experientalem* diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora VIII; *Physiologiam generalem* diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora X; *Physiologiam specialem et experimentalem* die Iovis, hora X; die Veneris, hora IX, et die Saturni, hora X; *Diaeteticam et Politiam medicam* die Lunae, hora IV—VI; *Indagationibus physiologicis* in Laboratorio Physiologico quotidie praeërit.

Si quid postea in lectionibus et horis indicatis mutandum erit, publice significabitur.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

HERMANNUS CHRISTIANUS VAN HALL die Veneris, hora VIII et IX, autumnali et aestivo tempore etiam diebus Iovis et Saturni, hora VIII, *elementa Botanices* illustrabit; die Martis, hora I, *Botanices sublimioris* selecta quaedam capita tradet; die Mercurii, hora IX et X, aget de plantis *medicinalibus* aliisque vario respectu *utilibus*, sive de *Botanica applicata*, ordine Familiarum naturalium; die Saturni autem, hora X et XI, *Oeconomiam ruralem* docebit. Post ferias Paschales et mense Septembri, die Martis hora pomer. III½ exercitiis practicis in Horto botanico et die Mercurii, hora matutina VIII, *excursionibus botanicis* praeërit.

IANUS GUILIELMUS ERMERINS diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora XI, *Arithmetices*, *Algebrae*, *Geometriae et Trigonometriae planae* elementa explicabit; *Physicam experimentalem* docebit die Mercurii, hora I; diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora XII, *Physicam theoreticam* universe, aut selecta eius capita, provectioribus discipulis exponet. De *Matheseos elementis* disquisitio habebitur diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora pomeridiana III. *Experimenta instituendi methodum* docebit die Mercurii, hora IV—VI.

NICOLAUS MULDER die Lunae, hora X, *Zoologiae elementa*, die Martis hora X et XII, *Historiam Mammalium et Insectorum naturalem* docebit; die Veneris, hora X et XI, *Anatomen animalium comparatam* tradet. Selecta *Paleontologiae* capita exponet, horis commilitonibus commodis.

GUILIELMUS ADRIANUS ENSCHEDÉ diebus Iovis et Saturni, hora IX, *Stereometriam et Trigonometriam sphaericam* docebit; selecta *Algebrae* capita exponet diebus Lunae et Martis, hora XI; *Astronomiae elementa* tradet diebus Lunae et Iovis, hora pomeridiana VI. *Geometriam analyticam*, *Calculum differentialem* et *integralem*, *Mechanicam analyticam* exponet horis commilitonibus commodis. *Exercitia mathematica* futurorum Praeceptorum moderabitur.

PETRUS IOHANNES VAN KERCKHOFF diebus Lunae et Martis, hora IX, die Mercurii, horis XI et XII, *Chemiam anorganicam* docebit; diebus Iovis, hora XI, et Saturni, hora X et XI, *Chemiam corporum organicorum* exponet; diebus Lunae, hora XII, et Iovis, hora X, *Chemiam pharmaceuti-*

cam tradet; *Chemiae technologicae capita* in usum publicum explicabit diebus Lunae et Martis, hora pomeridiana VI; *Chemiam practicam* docebit et *Exercitia analytica* in Laboratorio moderabitur quotidie.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

PETRUS HOFSTEDE DE GROOT diebus Lunae et Mercurii, hora IX, Martis, hora X, *Historiam Ecclesiae Christianae*, secundum *Lineamenta* a se typis divulgata, enarrabit; diebus Martis, hora XI, Mercurii, hora I, et Veneris, hora XI, *Dogmaticam et Apologeticam Christianam*, secundum *Compendium* a L. G. Pareau et a se editum, exponet; diebus Lunae et Mercurii, hora X, et Veneris, hora I, *Theologiam Naturalem*, secundum *Compendium* a se scriptum, tradet; die Saturni ab hora XII ad II *vitam Iesu Christi* explicabit.

LUDOVICUS GERLACHUS PAREAU diebus Mercurii et Iovis, hora XI, *Encyclopaediam Theologi Christiani*, secundum *Compendium* a P. Hofstede de Groot et a se editum, exponet; diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora XII, secundum *Compendium* suum typis expressum, in *Theologiam Christianam moralem* inquiret; diebus Lunae atque Veneris, hora XII, et die Martis, hora I, loca nonnulla *Hermeneutices sacrae*, secundum *Compendium* suum typis editum, tractabit et quaedam *Carmina Hebraïca* cum Commilitonibus interpretabitur.

GUILIELMUS MUURLING die Martis, hora IX, *loca selecta parallela e Synopticis Evangeliis* cum Commilitonibus legere perget; diebus Iovis et Veneris, eadem hora, Pauli *ad Romanos Epistolam* interpretabitur, Cap. I—VIII; die Lunae, hora XI, et diebus Iovis atque Veneris, hora X, *Theologiam Practicam* tradet, secundum *Compendium* suum, typis editum; die Veneris, hora IV, *exercitationes homileticas*, et die Saturni, hora XI, *exercitationes* provectiorum *catecheticas*, cum pueris instituendas, moderabitur.

EVERARDUS IANUS DIEST LORGION diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora VIII, aget *de Historia et de Critica librorum Veteris Testamenti*, et diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora VIII, *de Historia et de Critica*

librorum Novi Testamenti; diebus Lunae et Iovis, hora I, *Theologiam Ecclesiasticam* exponet; *Historiam Ecclesiae Christianae in patria nostra* et *Patristicam* tractabit horis auditoribus commodis.

Disputationibus cum publicis tum privatis de *Locis Theologicis*, die Mercurii, hora IV, suis vicibus, praeërunt Theologiae Professores.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM.

IOSUA IOANNES PHILIPPUS VALETON *Antiquitatem Hebraïcam* explicabit diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora IX; *Elementa Grammatices Hebraïcae*, additis exercitiis analyticis, tradet diebus iisdem, hora VIII; *Librum Geneseos* interpretabitur die Iovis, hora VIII et IX, die Veneris, hora IX; *Grammaticam linguarum Semiticarum comparatam*, additis exercitiis analyticis Arabicis et Aramaeis, exponet die Iovis, hora X, die Veneris, hora VIII et X. Cum provectioribus privatim leget Iesaïae *libri partem alteram*, Bidpaii *fabulas* a Sacyo editas et *Chrestomathiam Kirschianam a* Bernsteinio *editam* die Iovis, hora VI½.

GUILIELMUS HECKER die Lunae, Martis et Mercurii, hora IX, *Antiquitates Romanas* exponet; iisdem diebus, hora X, *Historiam recentiorem* tractabit, adhibito Georg. Weberi compendio, cui titulus: *Lehrbuch der Weltgeschichte mit Rücksicht auf Cultur, Literatur* etc. (2 Tom. 1865); iisdem diebus, hora XI, *Antiquitates Graecas* docebit.

CORNELIUS MARINUS FRANCKEN die Lunae, Martis et Mercurii, hora XI, interpretabitur Horatii *Epistolas*, Propertii *Carminum* et Livii *Decadis tertiae* partes selectas; die Iovis, Veneris et Saturni, hora X, Platonis *Gorgiam* et Sophoclis *Aiacem; — Historiam Litterarum Graecarum et Romanarum* enarrabit die Martis, hora XII, Veneris, hora IX; *Paedagogices* elementa, adiunctis latine scribendi et disserendi exercitiis, tradet die Iovis et Saturni, hora XI.

BERNARDUS HENRICUS CORNELIUS CAROLUS VAN DER WIJCK die Lunae, hora XII et I, die Saturni, hora I, *Logicam* docebit, adhibito compendio, cui titulus „Het wezen der kennis. Een leesboek der Logika, door

Mr. C. W. Opzoomer, Amsterdam, bij J. H. Gebhard en Cie. 1863"; diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora IX; *Historiam Philosophiae antiquae* exponet; iisdem diebus, hora VIII, *Metaphysicam* tradet.

HENRICUS ERNESTUS MOLTZER *Linguam Litterasque patrias* (adhibito Florilegio Viri Doct. E. Verwijs) explicabit diebus Mercurii, Iovis et Veneris, hora XII; *Historiam Patriae* iisdem diebus, hora I; *Linguam Gothicam* diebus Lunae, hora XII et I; *Eloquentiae praecepta* tradet et *exercitia practica* moderabitur diebus Martis, hora I et Veneris, hora VIII, *Shakesperii Tragoedias*, vulgo *historicas* dictas, interpretabitur horis auditoribus commodis.

NUMERUS STUDIOSORUM

IN ACADEMIA GRONINGANA,

DIE XXXI M. DECEMBRIS A. CIϽIϽCCCLXV.

In Facultate		Theologica	52.
"	"	Iuridica	67.
"	"	Medica	63.
"	"	Disc. Math. et Phys.	20.
"	"	Phil. Theor. et Litt. Hum.	4.
			206.

DOCTORES CREATI

IN ACADEMIA GRONINGANA,

INDE A D. XII OCTOBRIS CIↃIↃCCCLXV AD D. XI OCTOBRIS CIↃIↃCCCLXVI.

IN FACULTATE MEDICA.

D. 27 Oct. Regnerus smith, Med. Doctor, defensis thesibus, Art. Obst. Doctor, *cum laude.*

D. 30 Oct. Hillebrandus iacobus wichers, Med. Doctor, defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

D. 6 Nov. Ianus tobias meinesz, e pago Witmarsum Frisius, defenso specimine, cui titulus: *Geval van schedel- en hersenbeleediging*, Med. Doctor, *cum laude.*

D. 11 Nov. Marcus ianus adriani engels, Med. Doctor, defensis thesibus, Art. Obst. Doctor, *cum laude.*

D. 11 Dec. Berend slingenberg, e pago Eenrum, publice defenso specimine, cui titulus: *de Hart-hypertrophie*, Med. Doctor, *cum laude.*

D. 16 Dec. Albertus guilielmus tresling, e pago Scharmer, publice defenso specimine, cui titulus: *Over stricturen van de urethra*, Med. Doctor.

D. 21 Dec. Heimanus sanders, e. fil., e pago Veendam, defenso specimine, cui titulus: *Onderzoek naar de geleidingsbanen in het ruggemerg voor de gevoelsindrukken*, Med. Doctor, *magna cum laude.*

D. 5 Febr. Sybren schippers, e pago Ternaard Frisius, publice defenso specimine, cui titulus: *Over haematuria renalis*, Med. Doctor, *cum laude.*

D. 24 Mart. Guilielmus carolus mauritius van leeuwen van duivenbode, e pago Stad aan 't Haringvliet, publice defenso specimine, cui titulus: *Over ileotyphus*, Med. Doctor, *cum laude.*

D. 21 Apr. EGBERTUS KRULL, Med. Doctor, defensis thesibus, Art. Obst. Doctor, *cum laude.*

D. 11 Maii. IANUS TOBIAS MEINESZ, Med. Doctor, defensis thesibus, Art. Obst. Doctor, *magna cum laude.*

D. 12 Maii. HENDRICUS IANUS DONS, Med. Doctor, defensis thesibus, Art. Obst. Doctor, *cum laude.*

D. 9 Iunii. IOHANNES LAMBERTUS MULLER, Med. Doctor, defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

D. 13 Iunii. BEREND SLINGENBERG, Med. Doctor, defensis thesibus, Art. Obst. Doctor, *magna cum laude.*

D. 15 Iunii. ALBERTUS GUILIELMUS TRESLING, Med. Doctor, defensis thesibus, Art. Obst. Doctor, *magna cum laude.*

D. 18 Iunii. REGNERUS TJAARDA BUNING, Med. Doctor, defensis thesibus, Art. Obst. Doctor, *magna cum laude.*

D. 27 Iunii. HENDRICUS REISEGER, Med. Doctor, defensis thesibus, Art. Obst. Doctor, *magna cum laude.*

D. 30 Iunii. SAMUEL WYTEMA, Groninganus, defenso specimine, cui titulus: *Over struma*, Med. Doctor, *cum laude.*

Eodem die. DIDERICUS DE HAAN, Groninganus, defenso specimine, cui titulus: *Over osteo-malacie*, Med. Doctor, *cum laude.*

D. 30 Aug. IOHANNES IACOBUS HERMANNUS RIDDER, Med. Doctor, defensis thesibus, Art. Obst. Doctor, *cum laude.*

D. 19 Sept. SYBREN SCHIPPERS, Med. Doctor, defensis thesibus, Art. Obst. Doctor, *magna cum laude.*

D. 5 Oct. SIMON DOEDES BREUNING, Med. Doctor, defensis thesibus, Art. Obst. Doctor, *cum laude.*

D. 8 Oct. CHRISTIANUS IACOBUS ERMERINS, Med. et Art. Obst. Doctor, defensis thesibus, Chir. Doctor, *magna cum laude.*

IN FACULTATE THEOLOGICA.

D. 13 Nov. IOHANNES HELDER. e pago Aalsum, publice defenso specimine, cui titulus: *Het geloof volgens Jesus*, Theol. Doctor, *magna cum laude.*

D. 9 Iunii. IANUS PELINCK, Coevordanus, publice defenso specimine, cui titulus: *De kerk en de bijbel volgens Möhler voorgesteld en beoordeeld*, Theol. Doctor, *magna cum laude.*

D. 27 Sept. HAIO UDEN MEYBOOM, e pago Hornhuizen, publice defenso specimine, cui titulus: *De geschiedenis en kritiek der Marcus'-hypothese*, Theol. Doctor, *magna cum laude.*

IN FACULTATE IURIDICA.

D. 17 Nov. ANTONIUS HOETH, Groninganus, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

Eodem die. DANIEL DE BLOCQ DE HAERSMA BUMA, Leovardiensis, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 15 Martii. CAROLUS GUILIELMUS AMENT, Indo-Batavus, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 13 Iunii. SYTZE REIDING, Dragtena-Frisius, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 26 Iunii. HECTOR LIVIUS TRIP, Groninganus, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 27 Iunii. GUILIELMUS FREDERICUS WERUMEUS BUNING, e pago Uithuizen Groninganus, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

Eodem die. IOHANNES BECKERINGH VAN LOENEN, e pago Beilen Drenthinus, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 28 Iunii. WYTZIUS HENDRICUS DE SAVORNIN LOHMAN, Groninganus, defenso specimine, cui titulus: *Over art.* 131 *der Grondwet*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 3 Oct. SIKKE SLEESWIJK, e pago de Lemmer, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

ATHENAEUM ILLUSTRE

AMSTELODAMENSE.

30*

NOMINA PROFESSORUM,

QUI

IN ILLUSTRI ATHENAEO AMSTELODAMENSI CONIUNCTISQUE CUM EO SEMINARIIS

INDE A KAL. IAN. AD D. XXXI M. DEC. CIↃIↃCCCLXV

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

IN FACULTATE IURISPRUDENTIAE.

T. M. C. ASSER, Clar. Ord. Praeses a. 1865—1866.
H. DE BOSCH KEMPER.
M. DES AMORIE VAN DER HOEVEN.
A. E. I. MODDERMAN.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

H. BEIJERMAN, ante ferias aestivas.
I. C. G. BOOT.
I. P. N. LAND.
T. T. H. IORISSEN, post ferias aestivas.

IN FACULTATE MEDICINAE.

C. B. TILANUS, Prof. honorarius.
P. H. SURINGAR, Prof. honorarius.
I. VAN GEUNS.
G. E. VOORHELM SCHNEEVOOGT, Prof. extraordinarius.
A. HEYNSIUS.
G. BERLIN.
L. LEHMANN, Prof. honorarius.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

C. I. MATTHES.
C. A. I. A. OUDEMANS.
I. G. GUNNING.

IN FACULTATE THEOLOGIAE.

G. MOLL.
F. I. DOMELA NIEUWENHUIS, } Proff. in Semin. Luther.
A. D. LOMAN, }
S. HOEKSTRA, BEN. FIL., } Proff. in Semin. Teleiobapt.
I. G. DE HOOP SCHEFFER, }
I. TIDEMAN, Prof. in Semin. Remonstr.

ACTA ET GESTA

IN CONVENTIBUS CLARISSIMI ORDINIS PROFESSORUM

ATHENAEI ILLUSTRIS AMSTELODAMENSIS

ANNO CIƆIƆCCCLXV.

Die 10 m. Ianuarii Vir. Cl. G. Moll, ordinis eo tempore praeses, nonnulla praefatus de vi praemiorum in institutione publica, numos aureos tribuit Iano Freeseman Viëtor, utriusque Iuris candidato in Academia Groningana et I. G. van der Lith, Medicinae candidato in Academia Rheno-Traiectina, testimonium honorificum Diderico Huizinga, Medicinae studioso in Academia Groningana, ob commentationes ordini ICtorum et Medicorum oblatas.

Die 3 m. Aprilis Vir Doctissimus Ianus Guilielmus Gunning, Chemiae et Pharmaciae Professor creatus in locum Viri Cl. Eduardi Henrici von Baumhauer, qui nuper Harlemum commigravit, munus suum auspicatus est oratione, *qua comparavit veterum et recentiorum opiniones de compositione rerum*, edita hoc indice: Een eisch van het natuuronderzoek toegelicht uit de geschiedenis der scheikunde.

Die 16 m. Iunii Vir Cl. Hugo Beijerman nuntiavit se propter aetatem honestam missionem impetrasse. In cuius locum suffectus Thomas Theodorus Henricus Iorissen, literarum et historiae patriae Lector

in Schola Harlemensi, hanc provinciam simul cum Historiae docendae munere, quod Vir Cl. C. A. Engelbregt mense Februario deposuerat, suscepit

die 25 m. Septembris verba faciens *de historiae universalis notione* (over het begrip van algemeene geschiedenis).

Die 21 m. Octobris ordo promulgandum censuit novum programma certaminis literarii, quod proximis paginis repetitur.

ATHENAEUM ILLUSTRE

TE AMSTERDAM.

TWEEDE UITSCHRIJVING VAN PRIJSVRAGEN.

De Hoogleeraren aan het Athenaeum Illustre, in vereeniging met de Hoogleeraren aan de drie Protestantsche Seminariën en aan de Genees-, Heel- en Verloskundige school te Amsterdam, hebben besloten de vijf volgende prijsvragen uit te schrijven en een gelijk getal gouden eerepenningen uit te loven, waarvan de uitreiking aan de schrijvers der antwoorden, die de bekrooning waardig gekeurd zijn, zal geschieden bij gelegenheid der viering van het 47e Lustrum van het Athenaeum Illustre, op 8 Januarij 1867.

1°. Uit het vak der REGTSGELEERDHEID.

Men verlangt:

Eene ontwikkeling en beoordeeling van het regt en de jurisprudentie in Nederland en in de voornaamste Europesche en Amerikaansche Staten, ten aanzien der gevolgen van het niet of niet tijdig notificeren van wissel-protesten aan de endossanten en den trekker.

2°. Uit het vak der LETTEREN en BESPIEGELENDE WIJSBEGEERTE.

Quae Theod. Mommsenus in Historiae Romanae volumine tertio de M. Tullii Ciceronis ingenio, moribus, scriptis, factis narravit accurate explorentur et quantum iis tribuendum sit diiudicetur.

3°. Uit het vak der GENEESKUNDE.

Men verlangt:

Eene kritische, door eigen proef- en waarnemingen toegelichte beschouwing van den invloed, dien sommige klassen van geneesmiddelen op de dierlijke warmte uitoefenen.

4°. Uit het vak der WIS- en NATUURKUNDE.

Men verlangt:

Eene beredeneerde geschiedenis van het scheikundig teekenschrift tot op den tegenwoordigen tijd.

5°. Uit het vak der GODGELEERDHEID.

Men verlangt:

Eene beoordeeling van de gronden voor en tegen het bestaan van Davidische liederen in het O. T.

Alle deze prijsvragen moeten in het Nederduitsch beantwoord worden, behalve die uit het vak der Letteren en Bespiegelende Wijsbegeerte, waarop de antwoorden in het Latijn moeten geschreven zijn.

Tot de beantwoording worden toegelaten, behalve de studenten aan het Athenaeum Illustre te Amsterdam, alle aan de Hoogescholen, Athenaea, Seminariën der onderscheidene Kerkgenootschappen en Genees-, Heel- en Verloskundige Scholen in Nederland studerenden.

De antwoorden moeten vóór of op 1 October 1866 bij den Secretaris der Orde van Hoogleeraren worden ingezonden, voorzien van eene kenspreuk, en vergezeld van een behoorlijk gesloten briefje, naam, studievak en woonplaats des schrijvers behelzende en dezelfde kenspreuk dragende.

De antwoorden moeten met eene andere hand dan die des vervaardigers geschreven zijn.

Vóór de uitreiking der eerepenningen wordt de op het naambriefje vermelde persoon uitgenoodigd tot een onderhoud met de Hoogleeraren tot wier hoofdvak van wetenschap de prijsvraag behoort, ten einde te doen blijken dat hij de vervaardiger van het ingezonden antwoord is.

De ingezonden verhandelingen blijven de eigendom der schrijvers, terwijl de manuscripten in het archief der orde van Hoogleeraren geplaatst worden. De schrijvers van bekroonde verhandelingen mogen daarin bij de uitgave geene veranderingen brengen, zonder de toestemming der Hoogleeraren tot wier hoofdvak van wetenschap de prijsvraag behoort, tenzij op eene duidelijke wijze blijke dat de verhandeling niet onveranderd is uitgegeven.

De naambriefjes behoorende tot de niet bekroonde verhandelingen worden in eene openbare vergadering van Hoogleeraren ongeopend verbrand.

De Orde van Hoogleeraren aan het Athenaeum Illustre,

T. M. C. ASSER,
Voorzitter.

AMSTERDAM,
1 *November* 1865.

J. W. GUNNING,
Secretaris.

SERIES LECTIONUM,

IN ILLUSTRI ATHENAEO AMSTELODAMENSI ET IN SEMINARIIS

HABENDARUM INDE A FERIIS AESTIVIS ANNI CIↃIↃCCCLXV AD FERIAS AESTIVAS ANNI CIↃIↃCCCLXVI.

TOBIAS MICHAEL CAROLUS ASSER

Ius Mercatorium exponet diebus Martis et Iovis, horis XII—II;
Ius Civile interpretabitur diebus Mercurii et Veneris, iisdem horis;
Iuris assecurationum principia tradet horis dein indicandis;
Exercitationes practicas moderabitur diebus et horis deinceps indicandis.

HIERONYMUS DE BOSCH KEMPER

quaestiones selectas e *Iure publico* tractabit horis dein indicandis.

MARTINUS DES AMORIE VAN DER HOEVEN

Institutiones Imp. Iustiniani interpretabitur diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora IX matutina;
Historiam Iuris Romani enarrabit iisdem diebus, hora X;
Methodum procedendi in causis civilibus tradet iisdem diebus, hora XI.

ANTONIUS EWALDUS IANUS MODDERMAN

Ius criminale tradet diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora IX;
Statisticam patriae diebus Martis et Mercurii, hora X;
Historiam Europae diplomaticam diebus Iovis et Veneris, hora X;

Encyclopaediam et Methodologiam Iuris diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora XI;

Philosophiam Iuris die Saturni, hora X—XII;

Exercitationes forenses causarum criminalium moderabitur diebus et horis Auditoribus commodis.

IOANNES CORNELIUS GERARDUS BOOT

Antiquitates Romanas explicabit diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora XII;

Literas Latinas docebit enarrando *Ciceronis orationem p. Milone*, *Horatii* et *Iuvenalis satiras selectas*, *Dialogum de Oratoribus*, iisdem diebus, hora I;

In *Scholis Graecis* interpretabitur *Herodotum*, *Euripidis Hecubam*, *Demosthenis Olynthiacas* iisdem diebus, hora II;

Antiquitates Graecas explicabit tempore cum auditoribus constituendo.

IOANNES PETRUS NICOLAUS LAND

Sermonis Hebraei elementa et librum Samuelis priorem explicabit diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora X;

Antiquitates Israelitarum exponet diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris, hora VIII;

Literarum Semiticarum initia docebit die Lunae, horis X—XII;

Exegesin V. T. tradet enarrandis Hoseae vaticiniis, diebus et horis posthac indicandis;

Logicam, diebus Mercurii et Saturni, hora VIII;

Aramaeis, quae in libro Danielis leguntur, interpretandis libentissime vacabit.

THOMAS THEODORUS HENRICUS IORISSEN

Historiam recentiorem tradet die Lunae horis I—III et die Saturni hora XI;

Historiam Patriae die Lunae hora IX et die Saturni horis IX—XI;

Rhetoricam et literas Belgicas diebus Martis et Mercurii, hora IX.

CHRISTIANUS BERNARDUS TILANUS

Argumenta et tempora scholarum suarum deinde indicabit.

PETRUS HENRICUS SURINGAR

Therapiam generalem docebit diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora p. m. III;
Doctrinam morborum singularium interpretabitur iisdem diebus, hora p. m. II;
Praxin medicam ad lectulos aegrotantium moderabitur diebus singulis, hora matutina IX.

IOANNES VAN GEUNS

Pathologiam generalem et *Anatomiam pathologicam generalem* docebit die Lunae, horis X—XII et diebus Martis et Mercurii, hora X;
Morborum signa indagandi methodum exponet, una cum exercitationibus clinicis, diebus Martis, Mercurii et Veneris, hora XI;
Medicinam forensem et *Politiam medicam* tradet bis quavis hebdomade.

GUSTAVUS EDUARDUS VOORHELM SCHNEEVOOGT

Lectiones suas cum theoreticas tum practicas de *Neuropathologia* et de *Psychiatriae* elementis habebit, quum morborum in aegris demonstrandorum opportunitas illi dabitur.

ADRIANUS HEYNSIUS

docebit *Physiologiam* diebus Martis, hora I, Mercurii, Iovis, Veneris et Saturni, hora XI;
Histiologiam diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora X;
Embryologiam diebus Martis, hora XI et Iovis hora XII;
Exercitationibus histiologicis, experimentis et indagationibus physiologicis in laboratorio physiologico quotidie praeërit.

GUILIELMUS BERLIN

Anatomiam specialem et practicam docebit diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, hora IV p. m.;
Zoologiam diebus Iovis et Veneris, hora XII;
Anatomen comparatam diebus Veneris et Saturni, hora III p. m.;
Methodum secandi quotidie;
Exercitationibus zootomicis et *microscopicis* quotidie praeërit.

LEOPOLDUS LEHMANN

Artem obstetriciam theoreticam docebit diebus Martis, Iovis et Saturni, hora XII;
Encheireses in pelvi factitia demonstrabit diebus Lunae et Veneris, hora XII;
Morbos puerperales et selecta quaedam Gynaecologiae capita explicabit die Mercurii, hora XII;
Exercitationibus clinicis in Tocodochio scholae clinicae praeërit diebus singulis, hora XI.

CAROLUS IOANNES MATTHES

docebit *Physicam experimentis illustratam* diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora XI;
Planimetriam et *Trigonometriam rectilineam* iisdem diebus, hora meridiana;
Stereometriam, inclusa *Trigonometria sphaerica*, in commodum Medicinae et Literarum studiosorum diebus Martis et Iovis, hora I;
Astronomiam popularem horis cum auditoribus constituendis.

CORN. ANTON. IOANN. ABRAH. OUDEMANS

Botanicen generalem tradet die Lunae, horis VIII—X; *specialem* die Veneris, horis VIII—X;

Anatomiae et *Physiologiae* plantarum capita selecta exponet diebus Martis et Iovis, hora X;

Pharmacologiam generalem et *specialem* docebit diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora XII.

IANUS GUILIELMUS GUNNING

docebit *Chemiam anorganicam* diebus Martis et Iovis, horis VIII—X;

Chemiam organicam die Mercurii, horis VIII—X.

Chemiam pharmaceuticam die Martis, hora XI et die Veneris, hora I;

Exercitia analytica in Laboratorio moderabitur quotidie horis IX—IV.

In usum publicum *Chemiae technologicae* capita exponet horis vespertinis postea indicandis.

GUILIELMUS MOLL

tradet *Historiam Ecclesiae Christ. in patria nostra* diebus Iovis et Veneris, hora XII;

Historiam universalem Religionis et *Ecclesiae Chr.* diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora XI;

Theologiam dogmaticam iisdem diebus, hora IX;

Studia ad *Introductionem in Theologiam* et ad *Historiam Ecclesiae Neërlandicae* pertinentia et *Exercitationes homileticas* moderabitur diebus et horis deinceps indicandis.

FERDIN. IACOB. DOMELA NIEUWENHUIS,

Professor in Semin. Evang.-Luther.,

Theologiam dogmaticam tradet diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora IX;

Priorem Pauli ad Corinthios Epistolam explicabit iisdem diebus, hora X;

Exercitiis oratoriis vacabit die Iovis, hora III, et *catecheticis* die Martis, hora XII;

Discipulis Orationes sacras habentibus praeses aderit die Veneris, hora II.

ABRAHAMUS DIDERICUS LOMAN,
Professor in Semin. Evang.-Luther.,

Encyclopaediam Theologicam tradet die Veneris, hora XI;
Theologiam Biblicam V. T. diebus Martis et Mercurii, hora II;
Philosophiam religionis diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora I;
Exercitiis exegeticis vacabit die Mercurii, hora VIII p. m.

SYTSE HOEKSTRA Ben^{ti} filius,
Professor in Semin. Teleiobapt.,

Methodologiam et Theologiam Christianam dogmaticam docebit diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora IX;
Disciplinam morum tradet diebus Martis et Mercurii, hora X;
Theologiam naturalem docebit diebus Iovis et Veneris, hora X.

IACOBUS GISBERTUS DE HOOP SCHEFFER,
Professor in Semin. Teleiobapt.

Exegesin N. Testamenti docebit, interpretanda priore Petri epistola, diebus Martis et Mercurii, hora I;
Historiam nonnullorum librorum N. Testamenti tradet iisdem diebus hora II;
Exercitiis oratoriis vacabit die Mercurii, hora III;
Historiam Teleiobaptistarum Neerlandicorum enarrabit die Iovis, hora I;
Exercitationes homileticas moderabitur eodem die, hora II;
Commilitonibus *orationes sacras* habentibus praeses aderit, die Lunae et die Veneris, hora II dim.

IOANNES TIDEMAN,
Professor in Semin. Remonstr.-Reform.,

Theologiam Chr. dogmaticam tradet diebus Martis et Mercurii, hora IX;
Historiam Religionis diebus Iovis et Veneris, hora X;
Exegesin N. T. diebus Martis et Mercurii, hora X;
Historiam Remonstrantium diebus Iovis et Veneris, hora IX;
Exercitia oratoria moderabitur die Martis, hora III.

NUMERUS STUDIOSORUM

IN ILLUSTRI ATHENAEO AMSTELODAMENSI CONIUNCTISQUE CUM EO SEMINARIIS

DIE XXX M. DECEMBRIS CIƆIƆCCCLXV.

In	Facultate	Theologiae	58.
〃	〃	Iurisprudentiae	35.
〃	〃	Literarum	5.
〃	〃	Medicinae	14.
〃	〃	Philosophiae	—
			112.

EEN EISCH VAN HET NATUURONDERZOEK TOEGELICHT UIT DE GESCHIEDENIS DER SCHEIKUNDE.

INWIJDINGSREDE,

BIJ DE AANVAARDING VAN HET HOOGLEERAARSAMBT IN DE SCHEI- EN ARTSENIJBEREIDKUNDE AAN HET ATHENAEUM ILLUSTRE TE AMSTERDAM

DEN 3den APRIL 1865

GEHOUDEN

DOOR

Dr. J. W. GUNNING.

32*

EDEL ACHTBARE HEEREN, BURGEMEESTER EN WETHOUDERS, LEDEN VAN DEN GEMEENTERAAD VAN AMSTERDAM!

EDELE, AANZIENLIJKE MANNEN, CURATOREN VAN HET ATHENAEUM ILLUSTRE!

HOOGLEERAREN DER VERSCHILLENDE FACULTEITEN, HOOGGEACHTE AMBTGENOOTEN!

DOCTOREN, LEERAREN DER GODSDIENST, BEOEFENAREN DER WETENSCHAPPEN, ZEER GELEERDE HEEREN!

STUDEERENDE JONGELINGSCHAP, KWEEKELINGEN DER VERSCHILLENDE INRIGTINGEN VAN ONDERWIJS, HIER VERTEGENWOORDIGD!

MIJNE VRIENDEN EN BETREKKINGEN, VAN HIER EN VAN ELDERS TE ZAMEN GEKOMEN!

GIJ ALLEN DIE DOOR UWE TEGENWOORDIGHEID EENE VEREERENDE BELANGSTELLING IN DEZE PLEGTIGHEID BETOONT!

ZEER GEACHTE TOEHOORDERS!

De wetenschappelijke beweging van onzen tijd draagt allerwege één zeer bepaald en onderscheidend kenmerk; het is het streven om zich op elk gebied van onderzoek de Natuurwetenschappen ten voorbeeld te stellen. Naar den grond van dit verschijnsel behoeft naauwelijks te worden gevraagd. Op dien akker toch openbaart zich een wasdom zoo overvloedig en snel, een leven zoo frisch en krachtig en wordt een zoo rijke oogst gegaard, dat de wensch zeer verklaarbaar is, om ook andere velden te bebouwen met de werktuigen, die daar worden gebezigd, naar de methode, die daar gevolgd wordt. Degenen die zich van dit streven de gewenschte vruchten belooven, zijn natuurlijk overtuigd, dat de methode der natuurkennis eene algemeene, dat zij *de* methode is, en dat zij den onderzoeker geene voorwaarden oplegt, die hij niet op elk gebied van

wetenschap kan vervullen. Oppervlakkig beschouwd, schijnt inderdaad het verrigten van waarnemingen en het naar bepaalde regels trekken van besluiten daaruit, wel niet overal even gemakkelijk, maar toch overal uitvoerbaar. Maar, indien men de bijzonderheden van het natuurkundig onderzoek naauwkeurig gadeslaat, dan, dunkt mij, rijst er eene bedenking, belangrijk genoeg om ons het oordeel althans eenige oogenblikken te doen opschorten.

Er is eene voorwaarde, aan welke de waarneming, de bron van alle kennis, voldoen moet, om tot wetenschap te kunnen leiden, namelijk: dat zij onpartijdig zij. Deze eisch wordt door een ieder zoo natuurlijk en eenvoudig gevonden, en zoo gereedelijk toegestemd, dat het vermoeden rijst, of zijne hoogst gewigtige beteekenis wel altijd in genoegzame mate wordt erkend. Die beteekenis toch is veel ernstiger dan het woord zelf aanduidt, en kan ook in onze taal niet volkomen juist door eene andere uitdrukking worden wedergegeven. De natuurkundige methode namelijk eischt van den onderzoeker, wat wij met onze oostelijke naburen uitdrukken door het woord *Voraussetzungslosigkeit.* Dit woord duidt een toestand aan, waarin wij niet alleen, gelijk het door een veel geacht wijsgeer wordt geformuleerd, „onze gewaarwordingen zuiver uitspreken, en ze niet vervalschen door iets wat wij er uit ons zelven bijvoegen"; maar waarin wij ons ook de verpligting opgelegd zien, om de begrippen, die wij op het voorwerp van ons onderzoek toepassen, niet aan ons zelven, maar aan dat voorwerp zelf te ontleenen.

Onder de natuurwetenschappen is er welligt geene, waarin die eisch zoo duidelijk wordt uitgesproken als in de Scheikunde, en ik vertrouw op Uwe belangstelling te mogen rekenen, wanneer ik eene poging waag, om door een voorbeeld, aan hare geschiedenis ontleend, de beteekenis van dat woord in een helderder licht te stellen, dan de zoo even gegeven omschrijving vermag.

Door eene vergelijking van onze tegenwoordige begrippen over de zamenstelling der natuurstoffen met die, welke daaromtrent in de oudheid gangbaar waren, zal dit doel, naar ik vermeen, kunnen bereikt worden, en het is derhalve dit onderwerp, waarvoor ik in deze ure Uwe welwillende en toegevende aandacht inroep.

Scherper tegenstelling bestaat er naauwelijks dan tusschen de begrippen der ouden omtrent de zamenstelling der natuurstoffen en de onze. De scheikundigen van den tegenwoordigen tijd toonen U, onder tastbare vormen, een ruim zestigtal stoffen van zeer verschillend uiterlijk en eigenschappen, aan welke zij den naam van elementen geven. Het zijn niet anders dan de laatste bestanddeelen, die zij bij zoover mogelijk voortgezette ontleding in alle hun toegankelijke natuurproducten hebben aangetroffen. Onder bepaalde omstandigheden met elkander in aanraking gebragt, ontstaan daaruit weder zamengestelde stoffen, en het is op die wijze mogelijk, niet alleen vele der oorspronkelijke natuurproducten te reconstrueren, maar ook een zeer groot aantal stofcombinatiën te doen ontstaan, die in de natuur nimmer worden aangetroffen.

Bij dat opbouwen van zamengestelde stoffen uit de elementen blijkt, dat in den regel de eigenschappen van de laatste niet in de eerstgenoemde worden teruggevonden, zoodat er tusschen beiden geen ander verband bestaat, dan dat de elementen substantiëel voorhanden zijn in de zamengestelde stoffen, maar de eigenschappen van deze niet op zigtbare wijze bepalen.

Om één voorbeeld te noemen: het vloeibare water, dat het vuur en het leven uitbluscht, bestaat uit twee luchtsoorten, de eene brandbaar, de andere gekenmerkt door de eigenschap van, in veel hoogere mate dan de lucht, het leven en de verbranding te kunnen onderhouden. In de taal des gewonen levens overgezet, heet dit: de scheikundigen kunnen eene gegeven hoeveelheid water geheel in die twee luchtsoorten veranderen, en uit deze weder het oorspronkelijke water doen ontstaan.

Die luchtsoorten zelve echter bieden aan alle pogingen om ze verder te scheiden, een tot nog toe onoverkomelijken wederstand. Daarom worden zij de laatste bestanddeelen, de elementen van het water genaamd.

Wij merken op, dat de woorden *verbinden*, *scheiden*, *zamengesteld zijn*, enz. hier in eene van de gewone geheel afwijkende beteekenis worden gebruikt. Immers van hetgeen men in het dagelijksche leven, of in andere wetenschappen zamengestelde voorwerpen of ligchamen noemt, hangen de eigenschappen op merkbare wijze te zamen met de eigenschappen

van de deelen, waaruit zij zijn zamengesteld. Heeft niet, om ook hier een voorbeeld aan te halen, een huis zijne stevigheid te danken aan de vastheid van den steen, aan de verbindingskracht van den kalk, aan de taaiheid van het ijzer en het hout? Heeft niet een zamengesteld woord de vereenigde beteekenis van de woorden, waaruit het bestaat? Stoffen die zich scheikundig met elkander verbinden, verliezen daarentegen als het ware haar persoonlijk karakter en eigenschappen; zoodat de onmiddellijke waarneming van een ligchaam nimmer leert, welke zijne scheikundige bestanddeelen zijn. Die woorden: *scheikundige zamenstelling*, *ontleding*, *verbinding* enz., stellen dus bijzondere begrippen voor, die aan onze wetenschap uitsluitend eigen zijn en nergens elders voorkomen.

De oorzaak der scheikundige verschijnselen kan ook vooralsnog tot geene andere bekende natuurkracht worden teruggebragt en men neemt daarom aan, dat er eene eigendommelijke kracht bestaat, aan welke men den naam van *verwantschap* of *affiniteit* geeft, die tusschen de deeltjes der verschillende elementen wordt gedacht werkzaam te zijn.

Deze kracht is in werking bij het verbinden, en wordt bij de ontleding door andere krachten overwonnen. Al het eigenaardige wat de chemische verbinding en scheiding kenmerkt, is het gevolg van het bijzondere karakter, dat aan die verwantschap toegeschreven wordt.

Ziedaar de voornaamste en voor ons oogmerk voldoende hoofdtrekken van het tegenwoordige begrip element. In de gegeven omschrijving komt, het is noodig dit op te merken, geen enkel denkbeeld voor, dat niet uit de waarneming voortvloeit of door proefondervindelijk onderzoek aan de natuur zelve is ontleend.

Wenden wij ons thans tot de oudheid. In plaats van een scherp afgebakend begrip vinden wij daar slechts onbepaalde en dubbelzinnige voorstellingen, die onmiddellijk eene geheel van de onze afwijkende natuurbeschouwing verraden. De meest gangbare denkbeelden omtrent de zamenstelling der natuurstoffen vinden wij in de gewoonlijk aan Aristoteles toegeschreven leer der vier elementen: vuur, water, aarde, lucht. Deze waren de grondbeginsels, de *ἀρχαὶ* en *στοιχεῖα* der stoffelijke wereld. Het is niet gemakkelijk, zoo in het geheel mogelijk, ons eene duidelijke voorstelling te vormen van hetgeen onder die woorden, wier beteekenis

tamelijk onbepaald is en zoowel in stoffelijken als in geestelijken zin kan worden opgevat, moet worden verstaan. Evenmin blijkt het, door welk proces die grondbeginsels gedacht werden de natuurvoorwerpen te doen ontstaan.

Doch het is voor ons doel minder noodig, eene juiste voorstelling te hebben van den inhoud zelven hunner denkbeelden, dan wel van den weg, langs welken zij daartoe zijn gekomen. Hooren wij nu, hoe Aristoteles op eene der vele plaatsen, waar hij daarover handelt, zich uitspreekt.

„Wij zoeken," zegt hij, „de beginsels der waarneembare dingen, dat „is, van de tastbare ligchamen. Wij moeten daarvoor nemen, niet al de „tegenstrijdige eigenschappen die zij bezitten, maar alleen die welke be„trekking hebben op het tastgevoel. Het zijn deze: warm, koud; droog, „vochtig; zwaar, ligt; hard, week; vet, mager; ruw, effen; digt, ijl." Vervolgens laat hij om verschillende redenen, die wij met stilzwijgen kunnen voorbijgaan, alle behalve de vier eerstgenoemde eigenschappen buiten zijne verdere beschouwing. Van vier dingen nu zijn zes combinatiën twee aan twee mogelijk, maar de combinatiën van twee tegenovergestelde eigenschappen moeten vervallen. Wij houden dus slechts vier elementaire combinatiën over, die overeenkomen met de vier elementaire stoffen. Vuur is droog en warm; lucht is droog en vochtig (want stoom is lucht); water is koud en vochtig, aarde is koud en droog. Elk paar van deze elementen bevat eene gemeenschappelijke eigenschap, en wanneer deze door de tegenstrijdige wordt vermeerderd of opgeheven, dan ontstaat daaruit een ander element. Lucht, die warm en vochtig is, wordt door afkoeling koud en vochtig, dus water, en dit wordt weder door uitdrooging koud en droog, dus aarde.

Behalve deze vier elementen was er een vijfde, hooger, volkomener, goddelijker dan de anderen, eene essentie der stof, tot welks aanname Aristoteles komt door eene subtiele, naar onze wijze van zien volmaakt absurde redenering over de bewegingen der elementen. Het is dit vijfde beginsel, dat later onder den naam van *quinta essentia*, eene groote rol speelde in de denkbeelden der Alchemisten, de scheikundigen der middeneeuwen.

Hoezeer treft ons niet in deze leer der vier elementen het verschil met

Wetenschap en praktijk, viendschap en liefde — zijn het niet deze vier, die den inhoud des menschelijken levens vormen? Rijke overvloed der laatsten geeft kracht tot de eersten. U allen, mijne hoorders! en mij zelven, wensch ik ze in volle mate toe. Het zal ons en de onzen in eigen huis en in den werkkring, waarin wij arbeiden, des te meer welgaan!

ATHENAEUM

DAVENTRIENSE.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORIS

QUI

A. D. XVI FEBR. CIƆIƆCCCLXV A. D. XVI FEBR. CIƆIƆCCCLXVI

DOCENDI MUNUS OBIERUNT

IN ILLUSTRI ATHENAEO DAVENTRIENSI.

I. VAN VLOTEN, Litt. Belg. et Hist. Patriae Prof., h. t. Rect. Magn.
P. BOSSCHA, Litt. Antiq. Prof. honorarius.
I. DUYMAER VAN TWIST, Iur. Prof.
I. I. METZLAR, Litt. Orient. et Antiq. Hebr. Prof. extraord.
A. I. VITRINGA, Antiq. Rom. et Graec. et Hist. Prof.
I. I. CORNELISSEN, Litt. Graec. et Lat. Prof.

P. VAN MEURS, H. G. VAN DER MEY, } Ling. Lat. et Graec., Antiq. et Hist. Praeceptores.
G. DE LOOS, Matheseos Praeceptor.
C. G. SLOTEMAKER, Ling. recent. Praeceptor.

ORATIO

DE

ALEXANDRINORUM STUDIIS LITERARIIS,

QUAM PUBLICE HABUIT

IANUS IACOBUS CORNELISSEN,

A. D. VIII KAL. NOVEMBRIS A. CIƆIƆCCCLXV,

QUUM IN

ATHENAEO DAVENTRIENSI

LITERARUM GRAECARUM ET ROMANARUM PROFESSIONEM

SOLEMNI RITU AUSPICARETUR.

CONSULES SENATORESQUE HUIUS REIPUBLICAE DAVENTRIENSIS, VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI!

HUIUS ILLUSTRIS ATHENAEI CARATORES, VIRI GRAVISSIMI!

QUI UTRIQUE AMPLISSIMO ORDINI AB-ACTIS ESTIS, VIRI SPECTATISSIMI!

ATHENAEI RECTOR MAGNIFICE ET PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI; PRAECEPTORES VIRI DOCTISSIMI!

SCHOLAE ARTIUM QUAESTUOSARUM CULTUI DESTINATAE PROFESSORES VIRI CLARISSIMI; PRAECEPTORES VIRI DOCTISSIMI! MERITISSIMI!

LITERARUM DIVINARUM INTERPRETES PLURIMUM VENERANDI!

DISCIPLINARUM ET ARTIUM DOCTORES CONSULTISSIMI, PERITISSIMI!

ORNATISSIMI ATHENAEI HUIUS ALUMNI, COMMILITONES OPTATISSIMI!

QUOTQUOT DENIQUE ADESTIS, CIVIS ET HOSPITES, AUDITORES HUMANISSIMI!

Quemadmodum in historia gentium aliae aetates sunt, in quarum contemplatione cum animi voluptate et gaudio commorari solemus, aliae quae taedio quodam et molestia nos afficiunt, sic in historiae literarum quoque studio laetitiae ac doloris alternae vices sunt. Literae enim cum populi conditione tam artis vinculis coniunctae sunt, ut eosdem semper quos ille, progressus habeant regressusque. Florent literae in civitatis rebus prosperis et fortunatis, quae simulatque eversae sunt, literae quoque iacent ac sordent: civitas ruere non potest, ut non literae quoque eodem motu labefactentur.

Quod quum semper et ubique verum esse probetur, nescio tamen an ex Graecorum historia omnium optime appareat. Quamdiu enim Graeco-

rum populus vivit vigetque, quamdiu pollet opibus et potestate, literae quoque vigent ac florent, at deflorescunt et emarcescunt, simulac populus verum sanguinem ac spiritum amittere incipit. Ab ipsa amissa libertate haec depravatio initium sumsit. Postquam Graecia iugum dominationis Macedonicae accepit, ingenii lumen exstinctum est, animi vires exhaustae sunt, omnia senio quodam torpescere videntur. Una cum libertate mentis sollertia quoque et excogitatio evanuerunt. Et acerbum quidem dolorem accipimus, taedium et nausea nos tenet, quum ardentem illam ingenii vim frigidae contemplationi locum suum cedere videmus.

Qui enim post amissam libertatem scriptores exstiterunt ipsi nihil novi crearunt: aedificarunt, ut ita dicam, ex materiae copia, quam maiores iis reliquerant. Ut in rebus civilibus omnia unius principis imperio ac ditioni subiecta erant, sic humanum ingenium quoque ad alienum, non ad suum arbitrium vivebat. Tam diligenter tunc scriptores maiorum scrinia compilabant, ut ipsas sententias et cogitata ad illorum exemplum minute componerent. Quid? quod eo studium serviliter omnia imitandi processit, ut verba etiam scribendique genus ex illis desumere solerent. Quia enim sermo popularis incredibilem in modum corruptus erat ac depravatus, quia barbarae voces et soloecismi undique irrepserant, perierantque nativa orationis sanitas et elegantia, scriptores ad eam linguam recurrebant, qua prisci homines usi erant, tunc quidem deletam atque intermortuam, at cuius monumenta quotidie ante oculos habere solebant. Viva vox literae mortuae locum dedit. Quod olim fuerat totius populi bonum, sensim in paucorum manus venerat. Non amplius, ut in antiqua Graecia, aditus ad literarum monumenta optimo cuique patebat, non amplius enim mores et ingenium populi ad verum expressa reddebant. Tantum aberat, ut quivis homo liber et ingenuus cum vera animi oblectatione literas tractare posset, ut haud exigua doctrinae et eruditionis copia requireretur ad eas cognoscendas et percipiendas. Hinc factum est, ut literae a vulgo hominum magis magisque alienatae sint. Flores enim, quos emiserunt, non natura procreati, sed arte facti erant. Ut reipublicae administratio illis temporibus ab omnium civium communitate in principum secretiora cubicula translata est, eodem prorsus modo literae, ex communis vitae sole et pulvere, in virorum doctorum umbracula secesserunt.

Omnia fere scripta, post amissam libertatem in Graecia confecta, ieiuna sunt, insulsa et inficeta. Apte illa quidem cum operibus tesselatis comparari possunt [1]). Ut enim in pavimento tesselis strato, non tam artificis ingenium operisve elegantiam admiramur, quam laborem et industriam, quibus varii lapilli undique conquisiti sunt, sic scripta illa placere quodammodo possunt, quod artificiose sunt composita, sed elegantia et ingenium in iis vehementer desiderantur. Si comoediam, quae nova vocatur, et carmina bucolica excipias, quae tamen et ipsa bigeneris naturae sunt, in omnibus literarum monumentis illius aetatis, veterum exemplorum imitatio deprehendi possit. Tempus autem in haec scripta verum omnino et aequum iudicium edidit. Admodum enim parvus eorum numerus aetatem tulit: multo maximae partis ne vestigium quidem relictum est.

Haec autem est natura rerum, H. A., ut nullum umquam malum sit, sine aliquo bono. Quod luce clarius hac ipsa, de qua agimus, aetate manifestum factum est. Ex impenso illo studio, omnia literarum monumenta ad superioris aetatis exempla componendi, natum est disciplinae genus, quod uberrimos laetissimosque posteritati fructus tulit.

Etenim praeter homines illos, qui antiquarum literarum monumenta explorarunt, ut ex iis quasi materiem sumerent ad nova opera condenda, haud exiguus erat eorum numerus, qui non ita prompti et experientes, nihil aliud agerent, nisi ut rudera et pulverem perfoderent et perscrutarentur. At vel sic tamen melius etiam quam illi, de posteritate meriti sunt. Ab omni imitationis studio alieni, veteres scriptores eo potissimum consilio pervolutabant, ut tam aequalibus quam posteris viam aperirent ad thesauros illos, quorum contemplationi ipsi toto animo se dedere solebant. Ac stupendo quidem labore et industria propositum illud persecuti sunt.

Non ipsa Graecia illa studia alebat. Postquam enim ad unius hominis arbitrium et nutum omnia se finxerunt et accomodarunt, postquam populare ingenium misere est afflictum et depravatum, Musae nota sede relicta domicilium sibi in iis regionibus quaesiverunt, quae a Nilo, ab Euphrate et ab Oronte alluebantur. Ac benigne omnino et hospitaliter ibi exceptae sunt. Iam pridem Graecorum cultus in oras illas viam sibi munierat.

[1]) Cf. C. Hirzel, Grundzüge zu einer Geschichte der Classischen Philologie, p. 13.

Semina olim a coloniis ibi iacta, procedente tempore pullulaverant, sed altas demum radices egerant per Alexandri Magni duces perque reges ab illis prognatos. Alexandria, Pergamum, Rhodus et Antiochia, imprimis tunc literarum perfugia et receptacula facta sunt. Sedes autem omnium dignissima Alexandriae iis parata est, ubi Ptolemaei insigni liberalitate et munificentia literarum studium fovendum et excolendum curarunt. In Museo ab iis condito, publico sumtu viri literati alebantur. Eorundem cura et opibus bibliotheca illa omnium clarissima exstructa est, in qua antiquitatis thesauri coacervati et summa diligentia conservati sunt. Quos thesauros sapienti prudentia iis viris explorandos commiserunt, qui munere illo omnium dignissimi et erant et habebantur.

Tres ante omnes viri fuerunt, qui bibliothecae deinceps praefecti nomina sua posteritati commendarunt: Zenodotum Ephesium volo, Aristophanem Byzantinum, Aristarchum Samothracium. Horum memoriam nulla umquam oblivio delebit. Omnes enim in bibliotheca illa excutienda ita versati sunt, ut tam aequalibus, quam posteris eam viam monstraverint, quae numquam fallere potest euntes. Omnium primi agnoverunt et perspexerunt, grammaticam omnis literarum studii fundamentum et firmamentum esse oportere. Quum antea interpretes hariolantes omnino et vaticinantes, in scriptoribus explanandis ad allegoriam plerumque recurrissent, docti illi Alexandrini eam interpretandi rationem introduxerunt, quae in linguae accurata notitia posita esset.

Sed latius etiam eorum industria patuit. Ante omnia id egerant, ut scriptorum verba a corruptelarum sordibus purgarent, quas longa die contraxerant. Tantis enim maculis et vitiis antiqua scripta obsita et obscurata erant, ut pristina sinceritas saepenumero vix agnosceretur. Lingua, quae olim splendebat iuvenili candore, copia et elegantia, insulsa, ieiuna, absurda facta erat.

Et multa quidem ad corruptionem illam contulerant. Quia enim scriptores in scholis multorum usu terebantur, in ludimagistrorum manus venerant, e quibus evaserant deformes omnino et mendosi. Scilicet ut scriptorum intelligentiam pueris faciliorem redderent, permulta inepta additamenta in contextum introduxerant, quae tollere lectorum vulgus negligere solebat. Quae tamen depravatio, si intra hos fines se continuisset, levissima parvique momenti fuisset. At latius malum serpserat in rhetorum scholis.

In his enim mos invaluerat, ut discipuli exercitandi gratia ad certum quoddam exemplum scriptiones conficerent. Quae scriptiones, quum vulgo illustrissimi cuiusque auctoris nomine circumferrentur, numerus librorum suppositorum et subditiciorum mirum in modum creverat. Accessit mercatura libraria, quae ipsa illa Alexandrinorum aetate quam maxime floruit. Tam strenue tunc homines libris lectitandis et scriptitandis operam dederunt, ut ipsi libri in merce haberi coepti sint. Quo factum, ut doli atque fallaciae, quibus reliquae merces obnoxiae sunt, ad forum librarium quoque viam sibi munierint. Mercatorum enim, qui non scientiarum, sed lucri et quaestus studio ducebantur, intererat, ut quam maxima librorum copia quam brevissimo temporis spatio conscriberetur. Quod quantae in conficiendis manuscriptis socordiae et indiligentiae locum dederit, quid opus est monere?

His tantis malis Alexandrini pro viribus mederi conati sunt. Versus spurios et subditicios expunxerunt aut obelo notarunt, vitiosam lectionem emendarunt, introduxerunt novam et sic ubique hoc egerunt, ut orationi pristinam sanitatem restituerent.

Reliquum erat, ut scriptores ita emendatos ad commune iudicium et popularem intelligentiam accommodarent. Communis enim vitae sermo ab antiquorum Graecorum lingua tantopere degeneraverat, ut permulta verba in scriptoribus occurrerent, quae, quum plane in desuetudinem abiissent, a lectoribus nullo modo intelligi poterant. Contraria ratione magnus verborum numerus in linguam irrepserat, quorum in veteribus literarum monumentis prorsus nullum vestigium reperiebatur. Quae impedimenta ita superare conati sunt, ut sedulo notarent, quae verba proba et vetusta essent, quae reiicienda et barbara, utque ea, quae plane in desuetudinem abierant, illustrarent atque explicarent.

Haec tanta de literis antiquis merita, si recte iudicamus ac perpendimus et si praeterea consideramus, quot locos alioquin obscuros, annotationibus ad historiam et geographiam ad antiquitates et mythologiam pertinentibus illustraverint, minime rem in maius extollere mihi videor, quum statuam, Grammaticos Alexandrinos dignos esse, quorum nomina summo in honore habeantur, quamdiu literarum studium exstet et permaneat.

At vel sic tamen multum abest, ut virorum illorum studia nullam omnino reprehensionis ansam praebeant. Immo vero gravissimo vitio obnoxia

erant, vitio tamen, quo omnia ingenii humani opera temporibus illis laborabant. Etenim omnium peritissimi tunc homines erant singulas res minute et subtiliter indagandi et colligendi, sed deerat iis mentis vis illa atque efficacitas, quibus collecta sollerter et ingeniose componerent. Ingentem materiae copiam sedulo coacervabant, sed nesciebant inerti materiae, ut ita dicam, animam infundere. In quovis disciplinae genere haec ratio atque inclinatio cernitur. Ubicumque praevalet studium multiplici doctrina variaque eruditione se ornandi. Multa viri docti excerpere, multa etiam compilare solebant, sed deerat iis ingeniosa inventio et excogitatio.

Variorum populorum mores et ritus, instituta et leges sedulo tradebantur, sed non tam late patuit virorum doctorum ingenium, ut in uno conspectu ponerent omnia. Fabulae ad mythologiam pertinentes colligebantur, ad certas rationes compositae in corpus redigebantur, sed nemo exstitit, qui sollerter eas et acute explicaret. Chronologiae studium laetissima cepit incrementa, res gestae summa diligentia annotabantur; attamen nemo historiae studio ita se dedit, ut consideraret, quid esset iter rerum, quaeque progressio. Nemo continuationem seriemque eventorum persequebatur, nemo videbat, quomodo alia ex aliis nexa et omnia inter se apta essent et colligata.

Etenim refrixerant fervidi ingenii calor et impetus, animus et sensus vim suam amiserant. Homines, quum ad id solum cogitationes suas converterent, quod sub omnium oculos caderet, omnia consilia factaque sua ad vitae utilitatem dirigere solebant. Hac ipsa de causa mathematica, physica ceteraeque disciplinae, quae naturae investigatione continentur, summo tunc in honore habebantur, altissimumque dignitatis gradum consecutae sunt [1]).

Haec igitur temporum illorum inclinatio in literarum quoque studium vim suam exercuit. Docti illi Alexandrini summo labore singula verba et sententias consectati sunt. Librorum angulos vel reconditissimos perscrutati, incredibili paene diligentia immensam congesserunt supellectilem literariam, sed non eo processit eorum industria, ut mentem scriptorum assequi conarentur. Ut veteres scriptores penitus cognoscerent et intelligerent, membratim fere dixerim eos dissecabant et dividebant, tamquam per anatomiam eos explorare studebant. Sed nesciebant literarum monumenta

[1]) Cf. Hirzel l. l.

omnibus numeris et partibus percipere et cognoscere, nec singula ita contemplari, ut necessitudinis rationem haberent, qua literae coniunctae sunt cum temporibus, quibus prodeunt in lucem. Vim et effectum, quae tam in rerum statum, quam in homines aequales habent, numquam respiciebant. Nemini venit in mentem, unumquemque scriptorem, ut fingitur et informatur ab ipsis quibus vivit temporibus, ita ipsum tempora illa regere posse et moderari. Ad summum: Alexandrini magna quidem industria et assiduitate occupati fuerunt in impedimentis removendis, quae aditum ad literarum hortos floridos et frugiferos praecludunt, sed ut ipsi eos intrarent, numquam operam dederunt.

At iam eo processit oratio, ut aliquando rationes mihi reddendas esse intelligam, quamobrem tam diu commoratus sim in doctrina illa Alexandrina vobis adumbranda. Duo sunt, A. H., quae me eo adduxerunt.

Primum, omnibus, qui literarum studium fovent et colunt, utile et necessarium esse existimo, nonnumquam respicere, quomodo alii olim iisdem se dederint. Nam, ut in ceteris studiorum generibus, ita in hoc quoque nullos fructus eorum industria proferre potest, qui ita in hoc campo elaborant, ut nesciant, quem laborem operis socii in aliis recessibus suscipiant et iam antea susceperint. Nec minime certe ad eius aetatis contemplationem attrahimur et allicimur, qua primum ea litteras tractandi via aperta est, quam deinceps ingens eruditorum numerus prosperrimo eventu ingressus est.

Haec prima causa est, ob quam de Alexandrinorum doctrina verba facere instituerim, sed alia, eaque aliquanto gravior, magis etiam me commovit.

Etenim ratio, quam permulti viri docti in patria nostra his nostris temporibus in literarum antiquarum studiis sequi solent, quodammodo similis mihi videtur illi, qua Grammatici Alexandrini olim iisdem se dederunt. Hodie etiam multi literarum studiosi ad verba formasque orationis magis, quam ad res animos intendunt. Eodem fere quo tunc modo, ars critica et grammatica literarum studii prora, ut dicunt, et puppis facta est; in hac totos viri docti se collocare solent, in hac sola mens eorum et cogitatio versatur.

Tantum autem abest, ut nova haec literas tractandi ratio sit nuperve introducta, ut iam antiquitus a maioribus probata atque usu recepta sit. Sed ad illam amplectendam longe aliis atque Alexandrini momentis impulsi sunt. Quum illi enim, quibus tenuis omnino et angusta ingenii vena erat, sollertiae inopia coacti ad eam decurrissent, nostrates, integra certaque ratione ducti, id olim egerunt, ut literarum studium ad sanitatem illam rediret, de qua a maioribus deiecta et deturbata erat.

Antea autem, qui literas antiquas tractaverant, variae multiplicisque disciplinae stadiosissimi, non in uno antiquitatis studii genere elaboraverant, sed id egerant, ut omnia, quaecunque possent, scientiae pervestigatione comprehenderent. Qui enim literarum studii in patria nostra parens quodammodo atque auctor habendus est, Iosephus Iustus Scaliger, quum ex Francia huc commigrasset, eandem rationem, quam ibi viri docti in studiis suis sequebantur, in novam quoque patriam introduxisse videtur. In Francia autem viris literatis hoc proprium et peculiare erat, ut pluribus disciplinis variisque eruditionibus mentem imbuerent. Philologia iis regina scientiarum erat, encyclios omnium doctrinarum disciplina.

Eodem fere modo Lipsius, Vossii, Meursius, Gronovius, Perizonius ceteraque antiquiorum literatorum turba πολυΐστορες fuerunt. Omnes stupenda eminebant doctrina, quae fere cunctas scientiae partes amplectebatur.

Sensim vero paulatimque studiorum cursus aliquantum immutari coepit. A lato campo, in quo libere vagata erant, sensim in artiorem gyrum compulsa sunt. Prima mutationis vestigia iam in Drakenborchio, Oudendorpio, Wesselingio deprehendi possunt; at latius demum nova literas tractandi ratio manare coepit, postquam ab Hemsterhusio, Valckenario, Ruhnkenio, Wyttenbachio exculta et confirmata est. Qui viri quum totos a multiplici illa et varia doctrina se averterent, quae maioribus propria fuerat, omnes ingenii vires ad unam criticam et grammaticam direxerunt. Is demum recte et bene antiquitati studere iis videbatur, qui ad artes illas toto animo et pectore incumberet, nec fere requirebant, ut extra hos terminos eius industria egrederetur. Via igitur, quam inierunt, non tam lata et amoena erat, quam illa, quam maiores ingressi erant, immo aspera saepe erat et lubrica, at quum solidioribus et stabilioribus fundamentis niteretur, tum carebat etiam deverticulis et anfractibus, a maioribus nimis saepe petitis.

Illorum autem vestigia nunc quoque viri docti sedulo premere solent. Criticam et grammaticam, a literarum studii clarissimis columinibus, summo ingenii acumine et sagacitate, cultas celebratasque, tantopere nos quoque in deliciis habere solemus, ut, qui recte illas exerceat, is fere perfecta et consummata antiquitatis notitia imbutus nobis videatur.

Et nescio an ipsorum, quibus vivimus, temporum natura atque indoles huic literas tractandi rationi aliquantum faveant. Nempe praepollet his temporibus ingens cupiditas augendi et coacervandi doctrinae materiem et copiam, acerrimum viget studium minutim omnia investigandi et accurate perscrutandi, caeco amore silvam rerum congerere solemus, at amisisse videmur facultatem illam divinam, totos nos in contemplandis rebus perspiciendisque ponendi. Torpuit vivida et vegeta mentis incitatio et permotio, qua materiae vita et spiritus infunduntur, qua excolitur atque illustratur. Nec in occulto latet causa.

Hoc enim in promptu manifestumque est, rationes studiaque, quae in variis disciplinarum et doctrinae generibus homines sequi soleant, eundem semper cursum tenere atque illa, quae in vitae communis usu praevalent. Ingens autem hodie eorum numerus est, qui nihil in rerum natura nisi corpora esse statuant. Ea tantum eiusmodi homines movent, quae cerni tangique possunt, sed quae corpore carent et ab omni concretione mortali segregata sunt, negligunt et contemnunt. In formis externis et adventiciis obstinato animo haerere solent, sed rerum vim et naturam penitus perspicere omittunt plerumque et fugiunt.

Hac certe in re huius aetatis ingenium similitudinem quandam speciemque gerit eius, quod Alexandriae temporibus illis viguit, quae modo adumbravi. Naturae necessitate quadam eaedem consequentiae utrique aetati communes sunt. Disciplinae enim, quae in mundi leges atque in corporum naturam inquirunt, quae tunc in summum honoris fastigium erant elatae, eaedem nunc quoque ita florent, ut inter ceteras ferre principatum obtinuisse videantur.

Haec igitur praesentis temporis inclinatio, qua rerum vis et natura prae specie et formis externis nimis saepe negligi solent, nonnihil conferre videtur ad eam in literarum studiis rationem continuandam, quae a maioribus nobis tradita est.

Quae ratio procul tamen abest, ut nullam omnino controversiam receperit. Magnus semper eorum numerus fuit, qui nimium illum artis criticae et grammaticae amorem acriter oppugnaverint atque etiam hodie multorum voces audiuntur, qui pusilli et contracti animi esse contendunt, criticis istis subtilitatibus mentem fatigare, totumque se abdere quaestionibus grammaticis, quas steriles et aridas vocant.

Eiusmodi iudicia, etsi satis perversa et praepostera, nituntur tamen manca quadam et angusta opinione, quam vulgus hominum de ipsa antiquitatis studii natura animo suo concepit.

Haud exiguus enim eorum numerus est, qui in eo antiquarum literarum studii unicam utilitatem positam esse existimant, quod veterum scriptorum lectio mentem acuat, ingeniique vires exerceat ob ingentes difficultates grammaticas et criticas, quae ubicunque lectoribus sese offerunt. Quae opinio imprimis pervulgata mihi videtur ab hominibus ineptis plerumque et putidis, qui, quum imparati imprudentesque summorum virorum studia satis perverse imitari soleant, critici et grammatici sibi videntur, sed ingenii vi destituti sunt, qua illi inter omnes excellunt. Qui *κακόζηλοι* cur quaeso non antiquorum Indorum potius Arabumve, vel nescio cuius gentis linguam literasque scholarum nostrarum discipulis tractandas proponunt? Ad ea, quae concupiscunt, feliciter hercle pervenire possint.

Nisi autem egregie fallor, eiusmodi solivagae et insulsae contemplationes magna ex parte nimiae pertinaciae tribuendae sunt, qua in formis orationis haereri solet. In quibus illustrandis, quum omnis cura et opera ponantur, id quod literarum studium ante omnia sequi oportet e conspectu amittitur. Quod singula per microscopum, ut ita dicam, aspici solet, contemplatio universi plerumque negligitur.

Equidem sic existimo, omnibus, qui ad literarum Graecarum et Romanarum studium se conferant, hoc propositum esse debere, ut Graecorum et Romanorum naturam et indolem, mentem et animum penitus cognoscant et quasi partem sui faciant. Eo consilio scripta antiqua perscrutari debent, ut intelligant, quae antiquitus dicendi cogitandique ratio ac voluntas fuerit, ut ingenium percipiant, quod in scriptis illis spirat. Antiquitatis enim ingenium, quod olim, postquam ex mediae aetatis sordibus et ruderibus excitatum est, Europae populos ad cultum humanum civilemque traduxit,

a praesentis temporis rationibus remotum quidem et separatum, sed minime alienum est. Hac nostra etiam aetate dira barbaries se infert, simulatque antiquitatis ingenium contemnitur et despicitur.

Vix suspicamur, ut verborum compositiones, quibus in cogitando scribendoque utimur, ut sententiae et formae orationis, ut leges ac rationes, quibus mentis humanae opera aestimamus, ut formae aedificiorum et vasorum, ut fere omnes artes et artificia pendeant ex antiquitatis indole et ingenio [1]). Quid? quod in omnibus fere disciplinae generibus viri docti propria investigatione ad antiquitatem referuntur, quippe in qua omnis doctrinae fons et principium inveniantur.

Antiquitatem autem quum nomino, imprimis nimirum Graecos intelligi volo. Romani enim, natura severa et aspera praediti, omnia consilia factaque sua ad vitae utilitatem dirigere solebant:

„Romae dulce diu fuit et solemne reclusa
Mane domo vigilare, clienti promere iura,
Cautos nominibus rectis expendere nummos,
Maiores audire, minori dicere, per quae
Crescere res posset, minui damnosa libido."

Etsi non ingenii dexteritate destituti, tamen in artibus et disciplinis fere toti a Graecis pendebant, a Graecis „praeter laudem nullius avaris." Permultas quidem disciplinas, quae ad vitae communis usum pertinent, multis partibus excoluerunt. Quanto ingenii acumine et sollertia, ut hoc solum commemorem, iuris studium ad artem et ad praecepta revocarunt! Sed magis quam ingenii excolendi, bellorum imperiique proferendi cupidine tenebantur. Romani hoc sibi proposuerunt, ut armorum vi totum orbem terrarum sub leges mitterent et suffecerunt huic operi. Attamen veri et germani terrae expugnatores non Romani, sed Graeci facti sunt: ingenii enim viribus eius imperium occuparunt.

Etenim omnis cultus atque humanitas a Graecis profecta sunt. Graecia procreatrix et quasi mater fuit omnis disciplinae, omnis artis, omnis philosophiae, omnis eloquentiae, omnis verae eruditionis, omnis denique ingenii animique cultus. Graecia generi humano omnia tradidit, quibus ingenii animique dotes excoluntur et expoliuntur. Graecia denique mentis

---

[1]) Cf. Curtius, Göttinger Festreden p. 34 sqq.

humanae extrema lineamenta duxit, quae quidem ad infinitum dilatari possunt, at in quibus summa aequalitas est et congruentia. Nostra medicina, nostra physica, nostra astronomia longe certe longissimeque praestant medicina, physica, astronomia Graecorum, at vel sic tamen, qui hodie illis disciplinis operam dant, continuant opus, iam olim ab illis inchoatum.

Nusquam terrarum — ut Curtii verbis utar — nusquam cultum humanum tam nativum et genti proprium fuisse apparet, quam in Graecia et rursus cum historia mundi tam artis vinculis coniuncta est, ut non ad unam nationem, sed ad totum genus humanum pertinere videatur. Dicas fere, humanitati, non sibi Graecorum populum vixisse. Nulla enim gens, nulla natio, quae quidem ab omni politiore elegantia non prorsus abhorret, ab humanitatis illius vi se substrahere potuit. Omnes adsciscere eam et amplecti aut despicere et contemnere debent.

A nimia aestimatione eorum, quae Graeci peregerunt, ipsum studium nos tutari potest, idque eo melius, quo altius in eorum notitiam penetrat. Servilis imitatio numquam vivos fructus protulit, at ex copulatione nativi ingenii Graecique ubique terrarum perfectissima et absolutissima artium et literarum monumenta nata sunt.

Hoc illis dictum est, qui novis, ut sibi videntur, moribus faventes, literas istas obsoletas scilicet atque intermortuas contemnere et pro nihilo ducere solent, quique albis dentibus eos derident, qui etiam nunc parvum illum Graecorum populum respiciunt, a quo tot saeculorum intervallo separati sibi videntur. In diem enim crescit eorum numerus, qui antiquitatis studium radicitus evellendum et funditus tollendum censent. „Quid nostra, ita fabulantur, quid nostra nugarum istarum ineptiarumque interest? Nihil nos moramur, quid in Atheniensium Pnyce olim, quid in Foro Romano actum sit; quid nobis cum Achilli, quid cum Hectore, quid tandem cum Didone piove Aenea? Omittamus quaeso aniles istas et decantatas fabulas!"

Qui sic iudicant, A. H., eos miserandos potius, quam serio refellendos existimo. Iis enim ne primoribus quidem labris antiquitatis studii voluptatem gustare contigit. Fugit eos, antiquitatis notitiam, dummodo recte de ea sentiamus, a vulgari reprehensione, quod ad vitae usum conferri nequeat, longissime abesse. Non scilicet ad rem faciendam adiuvat, neque annonam viliorem reddit. Fructus, quos refert, non tam sensu, quam

mente cernuntur, et hac ipsa de causa aetatis nostrae rationi voluntatique infesta nonnumquam atque inimica est, quippe quae ea tantum in honore habeat, quae manu, ut ita dicam, teneri possunt.

Quum vulgus hominum enim, Orienti fastidiose tergum obvertens, Occidentem versus oculos coniicere soleant, quod ibi summae perfectionis imaginem, quam animo et mente conceperant, ad verum perductam, studiumque omnia ad utilitatem referendi in altissimum fastigium evectum vident, antiquitatis investigator a turba rerum quotidianarum se removens, omni cogitatione ad Orientem fertur. Rerum antiquarum studiosus effodit et perscrutatur ruinas pristini splendoris et magnificentiae, ut vitae imaginem restituat, quae nonnisi mente et cogitatione percipitur. Etsi satis derelictus et destitutus propositum suum persequitur, hac tamen cogitatione excitatur et accenditur: antiquitatis ingenium, quod per tot secula viguerit ac duraverit, ne nostris quidem temporibus in vitae communis usu vi atque effectu carere [1]).

Antiquorum igitur populorum et imprimis Graecorum, naturam et mores, indolem animi ingeniique penitus cognoscere et mente atque animo complecti, extremum finem esse existimo, ad quem antiquitatis studium nos ferre et deducere debeat. Tuendum et diligendum est tamquam studium humanitatis, quod excolit mentem, erigit animum, cogitationique excursanti vagantique certos fines terminosque opponit; tamquam studium denique, quod iuvenem ad honesta instituit, quod viro exempla praebet immortalium factorum, quodque seni etiam iuvenilem animum reddere potest.

Acerrime eorum opinio impugnari debet, qui, quum in eo literarum antiquarum studii unicam utilitatem sitam esse contendant, quod mentem iuvenilem acuat ingeniique vires exerceat, Musarum dignitatem ita imminuunt, ut pro anibus vetulis eas habeant, quibus, quum eas res tantum per otium tractare possint, quae provectiori aetati conveniant, puerorum custodia haud incommode mandetur. Credite mihi, A. A., ut olim, sic nunc etiam virgines sunt, integerrima aetate florentes, quarum forma rapere, iucunditas tenere nos possit.

Equidem critica studia, recte tractata, colere didici ac diligere. Conscius mihi sum, antiquarum literarum studium, ob difficultates gramma-

1) Cf. W. Herbst, das Classische Alterthum in der Gegenwart p. 138.

ticas et criticas, nusquam non obvias, plurimum valere ad iuvenilem mentem exercendam. Persuasissimum mihi est, antiquitatis studium proficisci debere a linguae accuratissima notitia, a scriptorum diligentissima lectione. In his antiquarum rerum notitiae fontem et caput esse agnosco, ita ut vaticinari atque insanire mihi videantur, qui id agunt, ut mentem scriptoris assequantur, antequam verba intelligant.

Sed vitium est ubique, quod nimium est. Quod nonnisi instrumentum est, hoc minime pro extremo fine haberi debet, ad quem studia nostra tendant. Eam veteres scriptores tractandi rationem, quae totam se immergit verbis et formis orationis, iis relinquendam censeo, qui in literis quasi tabernaculum vitae posuerunt. Maior studiosorum pars alia concupiscit. Rudimentis depositis horum animi ad scriptorum nuda verba convertendi sunt, eaque tantum interpretationis causa iis afferenda, quae ex ipsis verbis necessario sequuntur. Multa enim cursim legendo antiquitatis imago quam perfectissima et absolutissima in iuventutis conspectu ponenda est. Quo plura legunt, eo melius tota mente prisca tempora repetere penitusque in eorum ingenium se insinuare poterunt. Multa legendo, difficultates, quae tam in oratione, quam in argumento sese offerunt, facilius saepe superabunt, quam subtilissimo grammaticae studio, vel copiosissima interpretatione. Multa legendo denique ea antiquitatis notitia discipulis praeparatur, quae in sempiterna eorum possessione permaneat et sic non amplius, opinor, periculum erit, ne, quod nunc haud raro fieri solet, scholarum tempore exacto veteres scriptores in angulum abiiciant vel ad scrutarium afferant, sed familiaritate et caritate complexi per totam vitam comites eos sociosque habebunt.

Quantum autem valeat antiquitatis studium, dummodo recte intelligatur et exerceatur, Britannia docere nos potest. Britannorum populus enim, etsi longe abest a subtilissima eruditione et stupenda doctrina, quae saepe et alibi et apud nos occurrunt, Britannorum tamen populus vel maxime spirat antiquitatem. Ibi viri egregii, qui consilio et sapientia rempublicam regunt et gubernant, quod a forensi labore otii datur, id totum antiquitatis studio impendunt. Ibi in orationibus in Curia habitis praeclara antiquorum dicta et sententiae tamquam auri micae fulgent et splendent. Ibi antiquitatis medulla in praestantissimis literarum monumentis discerni et de-

prehendi potest. Britanni enim certo delectu et sana moderatione ex Graecorum et Romanorum indole omnia, quae sibi placuerunt, in rem suam converterunt. Nec tantus antiquitatis amor domesticae eruditioni ullum adhuc detrimentum attulit. Non alius enim populus in artibus et disciplinis tam ingentes fecit progressus et praeterea vera cum gloria de se praedicare potest, in literarum suarum monumentis eam proprietatem et indolem nativam vigere, quae nusquam alibi inveniantur [1]. Britannos igitur, quos et in aliis rebus toties in exemplum assumere solemus, etiam, quantum fieri potest, in antiquis literis tractandis imitemur. Aut enim omnia me fallunt, aut, quod illis uberrimos fructus tulit, idem et nobis magno decori erit et emolumento.

Restat ut singularibus verbis vobis gratias agam, Curatores, Viri amplissimi! pro egregiis, quae in me conferre voluistis beneficiis. Vestrum iudicium, ab amplissimo huius urbis Senatu comprobatum, in eo honoris gradu me collocavit, ut in hac alma Musarum sede illas literas mihi praecipere concessum sit, ad quarum studium totum me conferre conatus sum. Vos me eas partes suscipere voluistis, quas olim tot clarissimi viri, ingenio et doctrinae copia illustres, summa laude et gloria sustinuerunt. Qui insignis honos, quam magno gaudio et laetitiae mihi sit, tum etiam anxium me quodammodo et sollicitum reddit. Etsi enim persuasum habeo, non ideo hoc munus mihi mandatum esse, quod iam talem me probaverim, qui ille dignus haberi possim, sed quod aliqua exspectatio est, fore ut aliquando non sine laude fortasse illi satisfaciam, interdum tamen, virium tenuitatis mihi conscius, vereor, ut exspectatio illa expleatur. Et ab illo suscipiendo caute profecto abstinuissem, nisi unum esset, quod animum meum confirmat. Consolor me maximo illo solatio, quod ad officii mei partes recte implendas non ingenium tantum et doctrina requiruntur, sed industria quoque et voluntas. Hoc autem sancte vobis affirmo, hoc polliceor, me omnibus opibus ac viribus hoc acturum, ut, quod ingenio et doctrina non possum, id labore et industria efficiam, itaque insigni in me collato beneficio non prorsus indignum me praestem.

---

[1]) Cf. Herbst, in libro laudato.

Professores, viri Clarissimi! Praeter spem et exspectationem mihi contingit, ut collegarum nomine vos compellem. Rogo vos et oro, ut me tironem et rudem ita in vestrum numerum recipiatis, ut et consilio et re adiuvare me velitis, quoties illis indigebo. Me collegam habebitis et gratum et vestrae auctoritati libenter obtemperantem. Hoc etiam enixe vos rogo, ut quam benevolentiam et amicitiam adhuc mihi praestitistis, eadem in posterum quoque me prosequamini.

Multis partibus tibi me devinctum sentio, amicissime Vitringa! Tu numquam adhuc neque consilio, neque opera mihi defuisti. Non possum non hanc occasionem arripere, ut tuae amicitiae etiam atque etiam me commendem ac simul publice gratias tibi agam pro praeclaris tuis in me meritis. De me sic tibi promitto, me, quotiescunque potero, promptum paratumque fore ad mutua officia pro virili parte tibi praestanda.

Paucis liceat mihi vos quoque affari, Athenaei praeceptores, Viri doctissimi! Laetor et glorior, quod et vobis collegis mihi uti concessum est in dulcissimo munere iuventutem erudiendi et instituendi. Meritas vobis debitasque gratias persolvo ob propensam, qua me accepistis, benignitatem. Persuasum vobis sit, me omni contentione elaboraturum, ut benevolentia vestra et amicitia, quas quam plurimi facio, perpetuo dignum me praestem.

Hoc extremum est, ut ad vos me convertam, laudatissimi iuvenes, carissimi huius Athenaei alumni! Exiguus vestrum numerus, etsi multis certe de causis vehementer dolendus, hanc tamen utilitatem mihi habere videtur, quod iis coniunctionis et familiaritatis vinculis consociare nos potest, quae magna frequentia interscinderet aut certe dilueret ac detereret. Hoc igitur omnibus precibus vos oro et obtestor, ut non tam magistrum me habeatis, quam amicum, qui dux vobis esse conatur eius viae, quam aliquanto diutius, quam vos ingressus est. Si quando errore captus, a recta via vos abduxisse vobis visus ero, candide hoc impertiatis velim. Urbanae admonitionis semper patientem me habebitis. Vestrum ius est, ut libere omnia diiudicetis et aestimetis, quo quaeso ex aequo bonoque utamini. Quicquid autem agatis, hoc semper ante omnia curae vobis et cordi sit, ut floreat et crescat illustre Athenaeum, quod Daventriae est.

DIXI.

ORDO LECTIONUM

HABENDARUM

IN ILLUSTRI DAVENTRIAE ATHENAEO,

A. D. XXVI SEPT. A. CIƆIƆCCCLXV USQUE AD FERIAS AESTIVAS A. CIƆIƆCCCLXVI.

RECTORE MAGN. I. VAN VLOTEN.

I. VAN VLOTEN, *Theol. Doct., Litt. Neerland. et Hist. Patriae Professor, h. t. Rector Magnificus*, Linguam litterasque Neêrlandicas et Stili Neêrlandici praecepta explicabit diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora . . . . IX.

Historiam patriae tradet diebus Lunae et Martis . . . . VIII.
et die Mercurii, hora . . . . X.

Exercitia oratoria moderabitur diebus et horis auditoribus commodis.

Privatim explicare continuabit varia Litterarum patriarum specimina.

Grammaticam Gothicam et Grammaticam litterasque Anglosaxonicas provectioribus tradet, diebus Lunae et Martis, hora XII.

Lectiones publicas habebit, tempore hiberno, hora et die postea indicandis.

Logicam docebit diebus Lunae et Martis, hora . . . . I.

P. BOSSCHA, *Phil. Theor. Mag. Litt. Hum. et Iur. Utriusq. Doct., Prof. honorarius*, Historiam recentiorem aut aliquam veterum literarum partem lubens desiderantibus explicabit, horis cum auditoribus conveniendis.

Praeterea lectiones publicas habebit de aliquo historiae capite.

I. DUYMAER VAN TWIST, *Iur. Rom. et Hodierni Doctor, Iur. Professor*, Institutiones Iustinianeas explicabit diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, hora . . . . X.

Historiam Iuris Romani tradet diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, hora . . . . IX.

Ius Naturae exponet die Martis, hora . . . . IX.

die Veneris, hora . . . . X.

Encyclopaediam iurisprudentiae exponet diebus Martis et Veneris, hora . . . . XI.

Oeconomiae politicae principia tradet diebus Lunae et Mercurii, hora . . . . XII.

Selecta iuris mercatorii capita exponet hora auditoribus sibique commoda.

I. I. METZLAR, *Litt. Orient. et Antiquitatum Hebr. Prof. extraord.*, Linguae Hebr. elementa tradet, cum grammatica explicanda, tum analyticis exercitiis moderandis die Martis, hora . . . . . . I.

die Mercurii, hora . . . . II.

Librum *Exodus* inscriptum explicare perget die Mercurii, hora VIII et IX.

Antiquitates Hebraeorum exponet die Martis, hora . . . . . XI.

die Veneris, hora . . . . I et II.

Introductionem in V. F. libros tradet die Martis, hora . . . VIII et IX.

Locos quosdam selectos tractabit die Veneris, hora . . . . VIII et IX.

Litterarum Arab. Chald. et Syriacarum initia docebit horis auditoribus commodis.

A. I. VITRINGA, *Phil. Theor. Mag. Litt. Hum. Doct. Antiquitatum Romanarum et Graecarum et Historiae Professor*, Antiquitates Romanas tradet diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora . . . . XI.

Historiam Universalem enarrabit, secundum compendium, quod edidit vir Cl. Weber, diebus Martis, Iovis et Veneris, hora . . . . X.

die Saturni, hora . . . . IX.

I. I. CORNELISSEN, *Phil. Theor. Mag. Litt. Hum. Doct. Litterarum Graecarum et Latinarum Professor*, Herodoti lib. IX et Aristophanis Vespas interpretabitur die Lunae, hora . . . . X et XI.

die Iovis, hora . . . . IX.

die Saturni, hora . . . . I.

Livii lib. XXXIX, Ciceronis Milonianam et Terentii Andriam,
die Iovis, hora . . . . I et II.
die Veneris, hora . . . . XII.
die Saturni, hora . . . . II.

. . . . *Matheseos et Physices Professor*, Lectiones habebit horis et diebus postea indicandis.

P. VAN MEURS, H. G. VAN DER MEY, *Linguarum Latinarum et Graecarum, Antiquitatum et Historiae Praeceptores*, G. DE LOOS, *Matheseos Praeceptor*, C. G. SLOTEMAKER, *Linguarum recentiorum Praeceptor* exercitationibus, quibus elementa disciplinarum traduntur, praeërunt, horis alias indicandis.

Bibliotheca Athenaei unicuique patebit diebus Lunae, Mercurii et Saturni, horis . . . . II—IV.
feriarum autem tempore die Mercurii, horis . . . . II—IV.